

BIBL. STUD.
O. F. M.
CALIFORNIA

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/geographiahistor0000unse

GEOGRAPHIA HISTORICA

PALAESTINAE ANTIQUAE



SCRIPTA PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI

GEOGRAPHIA HISTORICA
PALAESTINAE ANTIQUAE

QUAESTIONES SELECTAS

AD SCHOLARUM SUPERIORUM USUM

EXPLANAVIT

LADISLAUS SZCZEPAŃSKI S. I.

PROF. ORD. UNIVERSITATIS VARSAVIENSIS

220.91
5997

1576

ROMAE
SUMPTIBUS PONT. INSTITUTI BIBLICI
—
1926

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

O. F. M.
CALIFORNIA

THEOLOGICAL
LIBRARY
O. F. M.
SANTA BARBARA
CAL.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM

Scientiae palaestinologicae fausta magnaque incrementa, ultimis decenniis habita, sed in tot tantisque libris dispersa, difficiliorem incipientibus laborem praebent. Ut igitur Scholarum Academicarum necessitatibus aliquo saltem modo occurram, has synopses praelectionum, quas ante bellum in Pontificio Instituto Biblico de Urbe habueram, quaeque iam ab a. 1912, manuscripti instar, in Auditorum Instituti manibus usque hodie ferebantur — nunc, correctis quibusdam, aliis de novo adiectis, publici iuris facio.

Quae in hoc libro proponuntur sunt synopses, quae ad hoc, ut facile et recte intelligantur plenaque luce splendeant, Professoris ductum, chartas geographicas, delineationes, non raro photographias vel imagines vivo lumine proiectas, similiaque scholae adiumenta supponunt. Sunt insuper synopses scholares, quae proinde solum prima quaestionum elementa tangunt, quapropter peritis in palaestinologia doctoribus novi vix quidquam offerunt. Et haec quidem sunt, de quibus Lectorem necessario praemonitum esse cupio, ut de indole huius libri omne dubium a limine tollatur.

Quaestiones ethnographicas de Palaestina primitiva (praehistoricas et protohistoricas), amicorum

consilio obsecundans, ad tractatum archaeologicum remisi, cum archaeologiam imprimis supponant ad eamque potissimum spectent.

Quaestiones de Ierusalem antiqua, in libro de Palaestina tractante, penitus deesse, nonnemo forsitan mirabitur. Cum tamen materia huc spectans iam de se ingens ultimis annis in immensum fere excreverit, tractatum de Hierosolyma antiqua in distincto libro proponere studentibus animo intendo.

Oeniponte, die 15 Augusti 1926.

AUCTOR

PROLEGOMENA

ad palaestinologiam

A) PRAEAMBULA

§ 1. **Palaestinologiae** nomine specialis disciplina scientiae biblicae adiutrix designatur, cuius obiectum sunt: Palaestina et omnia, quae quocumque modo ad eam referuntur; ut geographia physica, historica et politica, topographia, archaeologia, ethnographia et historia huius regionis. — Palaestinologicae scientiae initia post bellum chersoneso-tauricum (1854–1856) recte quaeruntur; incrementum magnum subsecutum cum effossionibus (inde ab a. 1865), de quibus cf. infra (§§ 7–10).

Bibliographia palaestinensis debetur ante omnia et continetur operibus:

a) Titi Tobler, *Bibliographia geographica Palaestinae* (Leipzig 1868 [IV 265]), continet catalogum 1008 auctorum, qui de Palaestina ab initio usque ad a. 1867 scripserunt. Eius supplementa dedit Petzholdt in *Neuer Anzeiger für Bibliographie und Bibliothekwissenschaft* (a. 1875, pp. 204–207. 235–239. 275–291).

b) Reinhold Röhricht, *Bibliotheca geographica Palaestinae* (Berlin 1890), supplet quae desunt in opere Titi Tobler et bibliographiam palaestinensem complectitur ab a. 333–1878; — opus magni meriti, continet 3515 nomina auctorum; insuper in appendice (pp. 598–662) 747 notitias affert de historia et evolutione chartographiae palaestinensis. Eius supplementa vide in ZDPV (W. A. Neumann 14 [1891] pp. 113–134; F. Mühlau 16 [1893] pp. 209–234; insuper ipse Röhricht, ibid. 16 [1893] pp. 269–296). Anni subsequentes 1879–1894 quaeri debent partim in ZDPV, ubi scripserunt A. Socin (a. 1877–1884), Jacob

(a. 1885–1887) et I. Benzinger (a. 1888–1894), partim vero in *Archives de l'Orient latin* (Paris 1881–1884), ubi doctus Paul Riant ea collegit, quae ad annos 1878–1883 spectant.

c) Peter Thomsen, *Systematische Bibliographie der Palästina-Literatur*, 1. Bd., Leipzig 1908; Id. *Die Palaestina Literatur*, 2. Bd., ibid. 1911; 3. Bd., ibid. 1916. Volumen 1 continet bibliographiam palaest. a. 1895–1904; volumen 2 a. 1905–1909; volumen 3 a. 1910–1914; tomi subsequentes ulteriora lustra comprehendent. Thomseni opus, undequaque perfectum et omnino necessarium, summam laudem et attentionem meretur.

Subsidia palaestinologiae litteraria constituunt:

a) Periodica (catalogum vide in Thomsen). — Maximi momenti sunt: "*Palestine Exploration Fund. Quarterly Statement*" [PEFQS] London 1865 ss.; — *Zeitschrift des deutschen Palästina-Vereins* [ZDPV] Leipzig 1878 ss., cum supplementis: *Mitteilungen und Nachrichten d. d. Pal. Ver.* [MuNDPV] ab a. 1895 ss.; — *Revue Biblique Internationale* (RB) Paris 1897 ss.; — *Das heilige Land* [HL] Köln 1857 ss.; — *Das Land der Bibel* [LB] Leipzig 1914 ss.; — Νέα Σιών Jerusalem 1910 ss.; — *Revue de l'Orient latin* [ROL] Paris 1895 ss.; — *Echos d'Orient* [EO], Paris 1898 ss.; — *Oriens Christianus* [Or], Romae 1901 ss.

b) Opera recentiora, chartae geographicae, atlantes et photographiae, quae in singulis tractatibus suo loco afferentur (cf. § 11).

B) FONTES

§ 2. **Fontes palaestinologiae** sunt diversissimi: *a*) solum terrae palaestinensis (in geographia physica uberius tractatur, §§ 13–33); *b*) vestigia et monumenta antiqua hucusque exsistentia, quibus archaeologia pal. praecipue occupatur; *c*) historica documenta; *d*) explorationes recentiores in Palaestina factae (§§ 7–10). — De monumentis sermo suis locis instituitur, de historicis documentis et de explorationibus hic (§§ 2–6) necessario agendum.

I. Historica documenta

huc spectantia sunt duplicis generis: sacra et profana.

Sacra: S. Scriptura V. et N.T., quae saepe per incidens, rarius ex professo (v. g. Num. 32; 34; Ios. 13–21; Ez. 47; Neh. 3), quaestiones geographicas Palaestinae tractat.

Documenta profana sunt diversi generis. Sec. originem dividi commode possunt in aegyptiaca, assyro-babylonica, Tell el-'Amârnensia, iudaica, graeco-byzantina, latina, arabica.

a) *Documenta aegyptiaca*, ut textus, inscriptiones et similia. Catalogum palaestinensem Thutmosis III in Karnak explicuit: W. Max Müller in *Mitteilungen der Vorderasiatischen Gesellschaft* 12 (1907), 1 (Die Palästinaliste Thutmosis III); — alios textus enarrarunt: C. R. Conder in PEFQSt 1904 (pp. 168–177); R. Weill, (*L'Asie dans les textes égyptiens de l'Ancien et du Moyen Empire*) in Sphinx 8 (1904) 179–215; 9 (1906) 1–17. 63–69; W. M. Müller, *Asien und Europa nach altägyptischen Denkmälern* (1893) 142–175; M. Burchardt, *Die altkanaanäischen Fremdworte und Eigennamen im Aegyptischen*, 2 vol. 1910; Gressmann, *Altorientalische Texte und Bilder zum Alten Testament* 1909, (nunc iam prodit eiusdem operis altera editio auctior et emendatior); — H. Gauthier, *Dictionnaire de noms géographiques dans les textes hieroglyphiques*, Le Caire 1925. Huc tandem adnumerantur: *Papyri ptolemaicae de Gerza* ca. a. 274–3 ante Chr. (hodie in museo cairensi); cf. RB. 33 (1920) 161–202; 36 (1923) 409–415.

b) *Documenta assyro-babylonica* discutit: Fr. Bö hl,

Kanaanäer und Hebräer 1911; — affert magnam partem GRESSMANN, o. c.

c) *Documenta ex Tell el-'Amârna*, et quidem: de oppidis Palaestinae in Tell el-'Amârna loquuntur: H. CLAUSS in ZDPV (1907) 1-79; (1908) 298 ss.; K. MIKETTA, *Die Amarnazeit* (Palästina und Aegypten), Münster 1908 (Bibl. Zeitfragen 1,10). — De regionibus biblicis sec. Tell el-'Amârna disserit valde bene P. DHORME in RB; N. S. 5 (1908) 500-519; 6 (1909) 50-74.

d) *Documenta iudaica*, et quidem: FLAVIUS IOSEPHUS (circa finem I saec. p. Chr.) plurima huc spectantia praebet in suis operibus, praecipue in: Ἰουδαϊκὴ Ἀρχαιολογία (libri XX) — et in Ἱστορία Ἰουδαϊκοῦ πολέμου πρὸς Ῥωμαίους (libri VII). Omnia Fl. Iosephi opera critice recognovit B. NIESE (Berolini) in duplici editione, maiore (7 voll. 1885-1894) et minore (6 voll. 1888-1895). — De geographicis quaestionibus sec. Iosephum tractarunt inter alios: W. OEHLER, *Die Ortschaften und Grenzen Galiläas nach Josephus* in ZDPV 28 (1905) 1-26. 79-74; J. LÉVY (*Midian, Saba, Noachidae*) in Rev. Études Juives 54 (1907, 2) 45-53; E. NESTLE, *Judäa bei Josephus* in ZDPV, 36 (1911) 65-118; L. HAEFELI, *Samaria und Peräa bei Flavius Iosephus* 1913. — De valore et pondere Fl. Iosephi, tamquam fontis archaeologici, confer quae egregie disseruit: H. VINCENT, *Jérusalem antique* I, 1. pp. 8-22 (Paris 1912).

Talmud, praecipue in tractatu *Menaḥôt IX.* — Plurimas geographicas notas, in Talmude contentas, collegit et enarravit A. NEUBAUER, *La géographie du Talmud*, Paris 1868; S. KLEIN, in ZDPV 35 (1910) 26-40.

§ 3. — *e*) *Documenta graeca et byzantina :*

1) Strabo, Γεωγραφικά. — Editionem criticam Strabonis debemus A. Meineke, Lipsiae (Bibl. Teubneriana) 1904–1909, 3 voll.

2) Cl. Ptolemaeus, Γεωγραφικὴ ὑφήγησις (c. 150 p. Chr.). Editionem completam operum Cl. Ptolemaei nondum possidemus ; (cf. de his H. N. Stevens, *Ptolemy's Geography*, London ² 1908). — F. G. Wilberg edidit *Cl. Ptolemaei Geographiae* l. VI, Essendiae 1845; C. F. A. Nobbe, *Cl. Ptolemaei Geographia* l. VII, Lipsiae 1845; editionem criticam inceperunt : C. Müller, *Cl. Ptolemaei Geographia* (Paris 1883. 1903) et J. L. Heiberg, *Cl. Ptolemaei opera*, (Bibl. Teubn.) I, 1. 2 (Syntaxis mathematica) 1894. 1903 ; II (Opera astronomica minora) 1907. — Capita huc spectantia discutit P. Thomsen, *Untersuchungen zur älteren Palästinalitteratur* in ZDPV 29 (1906) 101–119.

3) Opus anonymum : Σταδιασμὸς ἤτοι περίπλους τῆς μεγάλης θαλάσσης (post 200 p. Chr. compositum) — edidit C. Müller, *Geographi Graeci minores* I, 427–514; cf. de eo O. Cuntz in *Texte und Untersuchungen zur Geschichte der Urchristl. Litteratur* N. F. 14 (1905) 243–276.

4) Eusebius Caesareensis ; — notus historiae ecclesiasticae pater, composuit (c. finem III saec.) opusculum : Περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων τῶν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, quod uno saeculo post a St. Hieronymo latine versum, pretiosum constituit thesaurum de variis Scripturae locis geographicis atque simul traditionem illius aetatis repraesentat. — Utrumque edidit critice E. Klostermann sub titulo : *Das Onomasticon der biblischen Ortsnamen*, Leipzig 1904. De hoc Eusebii Onomastico cf. P. Thomsen, *Palästina*

nach dem Onomastikon des Eusebius, in ZDPV 26 (1903) 97–141. 145–188 et 29 (1906) 130–132.

5) *Opus musivum de Mâdabâ* (e. saec. V vel VI) ediderunt: P. Palmer et H. Guthe, *Die Mosaikkarte von Madeba*, Leipzig I (1906) 10 Tafeln; textum exhibebit vol. II. — Interim plura de hoc monumento geographico praebent: A. Jacoby, *Das geographische Mosaik von Madeba*, Leipzig 1905; A. Schulten, *Die Mosaikkarte von Madaba und ihr Verhältnis zu den ältesten Karten und Beschreibungen des hlg. Landes* 1900; H. H. Nelson, *The mosaic map at Medaba* in The Bibl. World 29 (1907, 1) pp. 370–375.

6) Stephanus Byzantius, Περὶ πόλεων seu Ἐθνικά (prob. ex saec. V p. Chr.); ed. L. Dindorf 1825, et C. Müller, *Geographi graeci minores*, Paris 1855–1861. — De Steph. Byzant. cf. J. Geffken, *De Stephano Byzantino capita duo*. Diss., Göttingen 1886, — et eiusdem: *De Stephano Byzantino commentatio*, Göttingen 1889.

7) Hierocles, in Συνέκδημος (ante 535 p. Chr.). Edit. crit. curavit A. Burckhardt, Leipzig (Bibl. Teubner.) 1893.

8) Cosmas Indicopleustes, Χριστιανικὴ τοπογραφία (c. 547–549) Migne PG. 88, 51–476. Editionem criticam paravit E. O. Winstedt, *The Christian Topography of Cosmas Indicopleustes*, Cambridge 1909, cum 14 tab., dum C. Stornajolo in suis "*Le miniature della Topografia cristiana di Cosma Indicopleuste* (cod. Vatic. Gr. 699)„ Milano 1908, dat photographica "facsimilia„ huius operis imaginum.

9) Procopius, Προκοπίου ῥήτορος περὶ τῶν τοῦ δεσπότου Ἰουστινιανοῦ κτισμάτων λόγος, πρῶτος–ἕκτος (c. a. 560).

§ 4. — *Documenta latina*:

1) C. Plinius Secundus Maior, *Naturalis historia*, libri 36.

Editionem criticam pararunt: L. Ian et C. Mayhoff[2] (1892–1909, Lipsiae, Bibl. Teubner). — Huc spectat quoque: D. Detlefsen, *Die Anordnung der geographischen Bücher des Plinius und ihre Quellen* in Sieglin's, Quellen und Forschungen, 19 (1909), et eiusdem: *Die Geographie Afrikas bei Plinius und Mela und ihre Quellen: — Die* Formulae provinciarum, *eine Hauptquelle des Plinius*, ib. 18 (1908); — praeterea: A. Klotz, *Quaestiones Plinianae geographicae* (in Sieglin's, *Quellen und Forschungen* 11 [1906] p. 228). Ex Plinio materiam desumpsit: C. Iulius Solinus, *Collectanea rerum memorabilium*, ed. Th. Mommsen, Lipsiae 1897.

2) Anonyma „ *Descriptio orbis terrae* „ nota etiam sub titulo: *Expositio totius mundi et gentium*, est quasi manuale quoddam geographiae mundi ad usum mercatorum conscriptum. Inter doctos de origine huius scripti disputatur. Dum enim nonnulli (ut A. Klotz in „ Philologo „ [1906] 97–127) originem graecam, et quidem in Aegypto (c. a. 350 p. Chr.) admittunt, alii (ut Th. Sinko in Arch. Lat. Lexikogr. 13 [1904] 531–572; et E. Wölfflin, ibid. 573–578) latinum originale huius scripti propugnant.

3) *Charta Castorii* (ex a. 365 post Chr.); nunc exemplum eiusdem (e. saec. XVI) Viennae habetur et *Peutingeriana* audit, a nomine possessoris ex saec. XVI.

Unicum hoc exemplar in 11 paginis pergamenis (quae rotulo involvebantur), est fidelis descriptio tabulae totius orbis a. 365 post Chr. confectae, ergo adhuc ante imperium Romanum collapsum. Comprehendit totum orbem terrarum antiquum, ab Hispania Sinas usque. Haec tabula, primi ordinis fons geographiae antiquae, septem coloribus depicta, est opus eximium omnino et singulare tum quoad ideam tum quoad executionem, et nullo tempore atque apud nullum populum aemulam sui invenit. Comparari unice posset nostris chartis viarum ferrearum et automobilisticarum, quae etiam geometriam respiciunt; hae tamen a tabula Castorii eo superantur, quod haec sit magis manualis (quippe quae unius pedis altitudinem habeat et cylindro com-

mode involvi vel explicari poterat. Mappa haec est productum maxime originale et magnificum ingenii romani. Commemorat 3000 stationum; dat earum inter se distantias viasque, longitudinis 68,651 miliariorum roman. (= circiter 100,000 Km.); quod vero exactitudinem spectat, a nullo opere antiquitatis superata est. Cum etiam Aegyptum, Syriam ac Palaestinam comprehendat, est pro nostra quoque materia fons primi ordinis. Eius solius ope multa loca (in regione Transiordanica) identificari potuerunt.

Editionem in coloribus curavit KONRAD MILLER, *Weltkarte des Castorius*, Ravensburgi 1888; idem etiam auctor commentarium addidit, in quo auctorem fuisse Castorium probat, fontes quoque eius atque finem pertractat et diligentissime explicat cum ipsam chartam tum omnia, quae continet. Tandem a. 1916 edidit mirabile sane eruditionis opus Chartae Peutingerianae dedicatum, quo eam ex omnibus hucusque notis itinerariis Romanis optime illustrat, sub titulo: *Itineraria Romana, Römische Reisewege an der Tabula Peutingeriana*, Stuttgart 1916 (in folio) cum 317 delineationibus et figuris.

4) S. EPIPHANIUS, (a. 315–404) Palaestinensis, dein episcopus Salaminae in Cypro, in libro cui titulus: *De mensuris et ponderibus* (a. 392), praeter alia archaeologiam biblicam spectantia, ad finem etiam de Palaestinae geographia disserit.

§ 5. *Documentis latinis* adnumerari debent, et pro palaestinologia magni momenti sunt, eamque valde promovent sic dicta:

5) ITINERARIA, praecipue primorum 10 saeculorum. Accuratissime enumerata et paucis descripta inveniuntur in R. RÖHRICHT, *Bibliotheca geographica Palaestinae* pp. 1–19. Hic quaedam nominare iuvabit:

a) *Itinerarium provinciarum omnium Antonini Augusti* (c. a. 300 p. Chr.).

**b*) *Itinerarium a Burdigala* (Bordeaux) *Hierusalem usque* (c. a. 333 p. Chr.).

c) S. Hieronymus, in " *Peregrinatione S. Paulae* „ (c. a. 386) describit iter suum in Palaestinam, in comitatu S. Paulae institutum.

* *d*) Aetheriae Abbatissae, *Peregrinatio ad loca sancta* (c. a. 385 ; — olim S. Silviae Aquitanae adscriptum).

* *e*) Eucherii, *De situ Hierosolymitanae urbis atque ipsius Iudaeae epistula ad Faustum presbyterum* (e saec. V = c. a. 440 [?]).

* *f*) Theodosius (Theodoricus), *De situ Terrae Sanctae* (c. a. 530).

* *g*) Anonymus Placentinus, *Itinerarium* (altera recensio : de locis sanctis) [c. a. 580 vel 570 ?]. (1)

* *h*) *Breviarius de Hierosolyma*, saec. VI (c. a. 530 ?; sec. alios 590 ?), auctoris ignoti.

* *i*) Adamnanus (Arculfus), *De locis sanctis*, libri tres (c. a. 670 conscripti sec. narrationem Arculfi).

* *k*) S. Beda Venerabilis, *Liber de locis sanctis*, et *Liber nominum locorum ex Actis* c. a. 720 (compilatio ex Eucherio, Adamnano et Hegesippo).

l) S. Willibaldi Eichstett., *Hodoeporicon*, seu Ratio itineris facti in Oriente (a. 724–726).

m) Bernardus Sapiens (monachus), *Itinerarium trium monachorum* (c. a. 870).

A saeculo X peregrinantium et descriptionum numerus crescit continuo et ultimo saeculo in immensum excrevit ; meretur tamen mentionem solummodo :

n) Petri Diaconi, *Liber de locis sanctis* (a. 1137) ;

(1) Cf. H. Grisar in Z. f. Kathol. Theologie 26 (1902) 760–770 ; 27 (1903) 776–780 ; P. Allard in Revue des questions histor. 75 (1904, 1) 283 s.

sunt maxima ex parte excerpta ex S. Beda et aliis diversis fontibus, ut vg. ex Aetheria.

N. B. — Opuscula *asterisco notata continentur in editione critica D. Pauli Geyer, *Itinera Hierosolymitana saeculi IIII–VIII*, Vindobonae 1898. (Constituit 39 volumen in "*Corpore Scriptorum ecclesiasticorum latinorum*„ ab Academia Litterarum Vindobonensi edito).

Confer de hisce peregrinationibus: P. Thomsen, *Loca Sancta*, Verzeichnis der im I bis VI Jahrh. nach Chr. erwähnten Ortschaften Palästinas, Halle, 1907; — Elter A., *Itinerarstudien*, Bonn 1908.

§ 6. *Documenta arabica* (usque ad saec. XI incl.)

De iis cf. J. Gildemeister in ZDPV 4 (1881) 85–92; 6 (1883) 1–12; 7 (1884) 143–172. 215–230; 8 (1885) 117–145, — qui ex singulis affert (germanice) huc spectantia.

1) Ibn Ḫurdâdbeh (c. 854–873): *Le livre des routes et des provinces*, publié, traduit et annoté par C. Barbier de Meynard, in Journal Asiat. 5 (1865) pp. 5–127. 227–296. 426–532; huc spectant de Syria pp. 448–452.

2) al-Ya'ḳûbî (c. a. 891–2) in *Kitâb al-Buldân* (Liber regionum).

3) Ibn al-Fakkîh (c. 903), compendium libri Kitâb al-Buldân, edit. M. J. Goeje, Lugduni Batavorum 1885; de Syria et Palaestina tractant pp. 93–103.

4) Ibn 'Abd Rabbih († c. 939–40)

5) al-Iṣṭaḫrî (c. 951-2) in "*Libro climatum*„, — et eius continuator:

6) Ibn Ḥauḳal (c. 977–8) in libro "*Viae et regna*„.

7) al-Muḳaddasî (al-Maḳdisî) (c. 985–6) in "*Descriptione imperii Moslemici*„.

8) al-Bakrî (a. 1094) in " *Dictionario geographico* „ quod edidit F. Wüstenfeld, Göttingen 1876–7.

9) Idrîsî (c. 1154).

De aliis vide A. Socin in ZDPV 14 (1891) pp. 75–82 et praecipue pp. 83–86.

II. Explorationes recentiores in Palaestina.

§ 7. Ante bellum (–1914)

Iam primis post Christi nativitatem saeculis christianorum oculi mentesque in hanc terram Palaestinensem memoriasque eius conversi erant ; hoc multa itinera peregrinantium, qui singulis saeculis eo conveniebant, clare testantur. Tardius, saeculo scilicet XVII, incipit collectio relationum de Palaestina, cuius meritum maximum viri, ut Chr. van Adrichom (1) (1590), F. Quaresmio (2) (1639) et alii tenent. Saeculo XVIII : A. Reland (3), R. Pococke (4) St. Schultz (5), Carsten Niebuhr (6) ; saeculo vero XIX :

(1) Adrichom Christian van, *Ierusalem sicut Christi tempore floruit... brevis descriptio*, Coloniae Agrippinae 1584 et ss.

(2) Quaresmio Francesco, *Elucidatio Terrae Sanctae historica...* Antverpiae 1639, 2 voll. fol.

(3) Reland Adrian, *Palaestina ex monumentis veteribus illustrata*, Traiecti Batavorum 1714 ; 2 voll. in 4°.

(4) Pococke Richard, *Description of the East*, London 1743 ss., 2 voll. fol.

(5) Schultz Stephan, *Die Leitungen des Höchsten nach seinem Rath auf den Reisen durch Europa, Asia und Africa...*, Halle 1771 ss., 8° 5 voll.

(6) Niebuhr Carsten, *Reisebeschreibung nach Arabien*, Copenhagen 1774 s., 2 voll.

J. L. Burkhardt, (1), U. Seetzen (2), T. Tobler (3), E. Robinson (4) et V. Guérin (5) in Palaestina profundiora studia topographico-geographica coeperunt.

a) Demum britannici studiosi, erecta (22 iunii 1865), Societate "Palestine Exploration Fund„ veram omnis generis studiorum et explorationum rationem et fundamentum posuerunt. Inter opera, per "Palestine Exploration Fund„ Societatem suscepta et expleta, magna et praecisa tabula Palaestinae cisiordanicae (annis 1872–5 et 1877–8 perfecta), excelluit, quam ad effectum adducendam Ch. Wilson, Cl. Conder, atque vir ex boero bello notus et in universali bello insignis exercituum dux Kitchener, uti et alii susceperunt. Charta haec ingens et praecisa, in 26 tabulis (6), anno 1880, et in septem magnae molis voluminibus, textu in folio (7) edita atque annis sequentibus publicata, en praeclari Britanniae doctorum studii opus!

(1) Burckhardt John Lewis, *Travels in Syria and the Holy Land*, London 1822 4°.

(2) Seetzen Ulrich Jaspar, *Reise durch Syrien, Palaestina, Phönizien, die Transjordanischen Länder, Arabia Petraea u. Unterägypten*, Berlin 1854–9, 4 voll. 8°.

(3) Tobler Titus, *Bibliographia geographica Palaestinae*, Leipzig 1868; — *Topographie von Jerusalem*, Berlin 1853.

(4) Robinson Eduard, *Biblical Researches in Palestina*... London [1]1838, [2]1856, [3]1867, 3 voll. (praeter 20 alia opera minoris molis sed non minoris valoris).

(5) Guérin Victor, *La Terre Sainte*, Paris 1881–3, 2 voll. fol.; insuper circa 30 alia opera palaestinographica.

(6) *Map of Western Palestine* in 26 sheets... by R. C. Conder, and H. H. Kitchener, London 1880.

(7) *The Survey of Western Palestine*, I-VII, London 1881–88, in fol.

Hunc eundem laborem in transiordanica regione prosequi impossibile fuit propter politicas rerum difficultates. Condero possibile evasit anno 1889 unam tantummodo tabulam, uno tomo textus concomitante, edere (1). Nunc quoque mappa transiordanicae regionis grandis et exacta, in pluribus tabulis confecta, adest (2).

b) Magna hac acquisitione non contenta, prima ex omnibus, " Palestine Exploration Fund „ Societas, praeter minora opera publicationesque, excavationes multiplices in Palaestina promovit. Iam quidem anno 1867–1870 Ch. Warren huius Societatis mandato, Hierosolymis (3) ad templum Ḥaram eš-Šerîf, Maudsley prope scholam dictam Gobati (1874) et doctor teutonicus H. Guthe (1881), ex mandato " Deutscher Palästina-Verein „ Societatis, (quae ad exemplum britannicae erecta fuerat anno 1877), in colle 'Ofel excavationes susceperunt. Celebris tamen in Palaestina explorationum aera antebellica, aera explorationum systematicarum eximia, anno tandem 1890 incepit. Explorationum expensae, vg. in Tell Ta'annak ad 52.000 francorum aureorum ascenderunt; explorationes in Megiddo 84.000, in Tell Gezer 130.000 frs. aur., in Samaria 500.000 frs. aur. absorbuerunt.

(1) *The Survey of Eastern Palestine* (Conder), London 1889.

(2) Debetur ex parte Dr. G. Schumacher, *Karte des Ostjordanlandes*, Leipzig, Haupt (finita nunc partialiter — cf. ZDPV 47 [1924] p. 127); comprehendit partem septentr. usque ad Nahr ez-Zerḳâ. Totam Transiordaniam exhibet R. C. Conder, etc. *Map of Eastern Palestine*, London 1918.

(3) Warren, Charles ... Guthe, *Jerusalem*, London 1884; — cf. etiam eiusdem auctoris: " *The Recovery of Jerusalem*, London 1871.

Ut in aliis regionibus sic etiam in Palaestina primum laborem anglicae vires perficere coeperunt. Societas " Palestine Exploration Fund „, concessione a Turcis impetrata, virum celeberrimum, Flinders Petrie, explorationibus in Palaestina dirigendis destinavit, qui sine mora urbem biblicam Lakiš in Tell el-Ḥesî (1) detexit (1890).

Ulterius ibidem opus F. J. Bliss usque ad annum 1893 continuavit. Idem Bliss per quattuor annos sequentes (1894–97) una cum A. C. Dickie muros Hierosolymae meridionalis detexit (2); deinde Bliss (1898–1900) cum R. A. Stewart Macalister Tell Zakâryâ, Tell eṣ-Ṣâfiye, Tell el-Gudeide et Tell Sandaḥanna (Maresa) explorarunt (3). Postquam anno 1901 Bliss stationem suam in Palaestina deserere coactus est, R. A. Stewart Macalister labores " Palestine Exploration Fund „ Societatis dirigebat. Ipse, in hoc labore indefessus, per multos annos (1902–1905, 1907–1909) amplas magnique momenti excavationes in Tell Ǧezer perfecit (4). Denique Mackenzie et Newton apud 'Ain Sems (Bethsemes) effossiones susceperunt (5). Explorationes britannicae proinde, quod tempus et explicationem laboris spectat, primum in Palaestina locum tenent.

(1) Petrie, W. M. Flinders, *Tell el Hesy* (Lachish), London 1891 fol.

(2) Bliss Fr. Jones and A. C. Dickie, *Excavations at Jerusalem* 1894–1897, London 1898.

(3) Bliss Fr. Jones and Macalister R. A. Stewart, *Excavations in Palestine during the years 1898–1900*, London 1902, in folio.

(4) Macalister R. A. Stewart, *The excavations of Gezer*, London 1912, 3 voll. in folio.

(5) Mackenzie Duncan, *The found's excavations at 'Ain Shems*, in Q. St. 1911–12; — cf. insuper de his H. Vincent, *Les fouilles anglaises d'Aïn Šems* R. B. (1912) 111 ss.; (1913) 96 ss.

§ 8. Alii interim populi in Terra Sancta excavare coeperunt. E. Sellin, (primum Vindobonae postea in Rostock professor), a G. Schumacher adiutus, effossiones in Tell Ta'annak (1902–1903) direxit (1).

Hoc opere perfecto, G. Schumacher ex " Deutscher Palästina-Verein „ Societatis mandato, investigationes magni ponderis ac valoris in Tell el-Mutesellim (2), id est in biblica Megiddo (1903–5) iniit. Aliquot annis post (1908–1909 et 1911) idem Sellin, antiquam Ierichuntem (Tell es-Sulṭân, Tell Abû 'Alaiḳ) excavavit; (3) dum eodem fere tempore americani D. G. Lyon et Reisner excavationes Sebastiae (in Samaria) dirigebant (4). Quibus si addimus: explorationes Parkeri (5) Hierosolymis, circa fontem 'Ain Sitti Maryam perfectas (1910–11), atque religiosorum " Pères Blancs „ apud Eleonam (6) (in monte Oliveto, a. 1910), insuper labores R. Weill (7) (1913–1914) in 'Ophel, — enumeratio nostra operum ante bellum peractorum quasi completa evadet.

Imaginis perficiendae gratia, necesse omnino est com-

(1) Sellin Ernst, *Tell Ta'annek* (Denkschriften der Kaiserl. Akademie) Wien 1904.

(2) Schumacher G., *Tell el-Mutesellim*, Leipzig 1908, 2 voll. in folio.

(3) Sellin Ernst & Watzinger Carl, *Jericho*, Leipzig 1913, in folio. — cf. ZDMG, 80 (1926).

(4) De his cf. H. Vincent in R. B. (1911) pp. 125–131 et (1925) pp. 436–441; — cf. insuper: Reisner, Fischer, Lyon, *Harward excavations at Samaria* 1908–1910, vol. I, Text; vol. II, Plans and plates, Cambridge (Mass) 1924.

(5) H[ugues] V[incent], *Jérusalem sous terre*; les récentes fouilles d'Ophel, London 1911.

(6) Vincent H., *L'église d'Eléona*, in R. B. (1911) pp. 219–265.

(7) Weill Raymond, *La cité de David*, Paris 1920.

memorare itinera arabica: A. Musil (1895-1911) (1), R. Brünnow et A. von Domaszewski (1897–98) (2), atque A. Jaussen et R. Savignac (3); — insuper sociorum Princeton Universitatis expeditionem (1899-900 et 1901-905) (4) in Ḥaurâno; — dein investigationes Dr. Kohl et sociorum in synagogis Galilaeae (1908) (5); — labores denique palaestinenses scientificos Pères Blancs, Patrum Assumptionis (de l'Assomption), Ordinis S. Francisci (6), et S. Benedicti.

Silentio tandem minime praeteriri possunt magni ponderis instituta, Hierosolymis iam ante bellum exsistentia, quae speciali modo palaestinologiae dant operam, in quibus eminent: "École pratique d'études bibliques„ Ordinis Praedicatorum (ab anno 1884), — "American School of Oriental Research„ (ab a. 1900; antea: Am. School for Oriental Study and Research in Palestine), — "Deutsches evangelisches Institut für Altertumswissenschaft del hl. Landes„ (a. 1902), — denique "Institut für orientalische Studien„ societatis catholicae in Germania a "Görres„ dictae (a. 1909). Omnes hae institutiones, secundum vires et media,

(1) Musil Alois, *Arabia Petraea,* Wien 1907 s., 3 voll.

(2) Brünnow R. & A. von Domaszewski, *Die Provinzia Arabia,* Strassburg 1904–1909; 3 voll. in 4.

(3) A. Jaussen & R. Savignac, *Mission archéologique en Arabie,* Paris 1909, fol.

(4) *Publications of the Princeton University Archaeological Expedition to Syria* in 1904–1905, Leyden 1907 ss.

(5) Kohl, Watzinger & Hiller, *Berichte über die Expedition zur Erforschung der Synagogenruinen Galiläas,* Berlin 1908; — iidem: *Antike Synagogen in Galilaea,* Leipzig 1916.

(6) cf. vg. *Biblioteca Bio-bibliografica della Terra Santa e dell'Oriente Francescano,* 3 voll. 1911–1919.

studia archaeologica et geographica in Palaestina promovebant atque propria diaria publicabant (1).

§ 9. II. Tempore Belli (1914–1918)

1. Tempore belli explorationes interruptae non sunt, quia Germani (prof. Theodor Wiegand) sectionem ad monumenta tuenda sub nomine " Deutsch-Türkisches-Denkmalschutz-Kommando „ instituerunt. Institutio haec investigationibus in Asia Minore et in monte Sinai perficiendis initium dedit. In Palaestinae fronte haec commissio strenum exhibuit laborem. Publicationes huius " Kommando „ (2) pulcherrimarum photographiarum montis Sinai et aliarum regionum copiam, aeroplani auxilio perfectarum, continent. Imagines, luce expressae, exsistentiam civitatum, castrorum et claustrorum, quae post arabicam invasionem (anno 625) deserta fuerant, detexerunt, quorum memoria evanuerat, cum vestigia illa non essent finitima trium viarum, quas mercatores medii aevi et investigatores nostri temporis hucusque frequentabant.

Attamen, non tantum vestigia historiae et culturae ultimi aevi imperii romani et primi aevi christiani per hanc societatem sunt detecta, sed multa quoque monu-

(1) vg. *Revue biblique* internationale, publiée par l'École pratique d'études bibliques, Paris 1897 ss. — *Palästinajahrbuch* des deutschen evang. Instituts, Berlin 1905; — post bellum: *The Annual of the American School* of Oriental Research in Jerusalem, vol. I-III, Yale 1920–1923.

(2) *Wissenschaftliche Veröffentlichungen des Deutsch-Türkischen Denkmalschutz-Kommandos*, Heft I (Th. Wiegand), *Sinai*, Berlin 1920; — Heft II (A. Alt), *Die griechischen Inschriften der Palaestina tertia westlich der 'Araba*, 1922; — Heft III (Th. Wiegand), *Damaskus*, 1921; — Heft IV (Th. Wiegand), *Denkmäler und Inschriften an der Mündung des Nahr el-Kelb, 1922.*

menta praehistorica ab eadem inventa et perquisita fuerunt. Speciale studium ab ipsa antiquae ecclesiae christianae in monte Harûn (prope Petram) dedicatum est, ubi antiqua traditio christiana, dicta rabbinorum sequens, sepulcrum Aaronis iniuste quaerebat. Sequentia eiusdem " Kommando „ opuscula, Petrae, Damasco (antiquae et medioaevali), Palmyrae et Palaestinensi epigraphicae collectioni dedicata sunt.

2. Angli (Britanni) quoque, post Palaestinae occupationem, adlaborarunt; Hierosolymis vdl. schola archaeologica (*British School of Archaeology*), professore Garstang ex Liverpool ductore (qui nunc cum antiqua " Palestine Survey „ et " Palestine Exploration Fund „ simul agit), ab Anglis erecta est. Praeterea condita est Hierosolymis " *Palestine Oriental Society* „ academia virorum doctorum, qui orientales in Palaestina scientias colunt. " Communicationes „ huius societatis gallico, britannico et hebraico sermone divulgantur (1).

Mense Iulio 1920, statim post introductam civilem administrationem, gubernium britannicum peculiarem sectionem " Department of Antiquities „ creavit. Nova decreta, ottomano iuri substituta, pro antiquitatibus edita sunt (15–X–1920). Eorum textus a Nationum Societate probatus, multas analogas dispositiones (in art. 21) promulgavit. Gubernium igitur palaestinense antiquitatibus invigilat per hoc " Department of Antiquities „, cui nunc praeest Prof. Garstang.

Specialis vero associatio " *Pro Jerusalem Society* „

(1) *Journal of the Palestine Oriental Society* vol. I (1920–1921); vol. II (1922).

dicta, curam murorum urbis Ierusalem concreditam habet. Eius activitatem describunt memoriae typis editae (1).

§ 10. III. Explorationes post bellum (post a. 1918) (2).

1. Non abs re erit breviter hic ea opera recensere, quae in campo archaeologico Palaestinensi post a. 1918 peracta sunt.

a) Praecipuae effossiones habuere locum in Ierusalem et in Beisân. — *Hierosolymis* collis 'Ophel, "murus Agrippae „ [?] (Q. St. 1925 p. 127), sepulcrum dictum Absalomi, et Gethsemani explorationibus subiecta sunt, quibus operam dederunt: R. Weill (3), Macalister (4), et Duncan (5), in Ophel; Slousch (6), in sepulcro Absalomi; Orfali in Gethsemani (7). — *Beisân* plurimum debet effossionibus Dr. C. S. Fisher, qui (nomine et sumptibus americanae Universitatis Philadelphiae), ab a. 1921 inibi laborabat (8).

(1) Ashbee, *Jerusalem* 1918-1920, London 1921; — *Jerusalem* 1920-1922, London 1924.

(2) Cf. de his Thomsen Peter, *Die neueren Forschungen in Palästina-Syrien*, Tübingen 1925; Vincent H., *L'année archéologique 1921 en Palestine* (R. B. t. 31, 99-125); — *L'année archéologique* 1922 (R. B. t. 32, 272-279, 420-441), *L'année* ... 1923 (R. B. t. 33, 420-431).

(3) R. Weill, *La cité de David*, Paris 1920.

(4) cf. PEFQ. St. a. 1923. 1924.

(5) cf. PEFQ. St. a. 1924. 1925; — Vincent, R. B. (1926) 123-124.

(6) cf. Biblica (1924) p. 228.

(7) G. Orfali *Gethsémani*... 1924; cf. H. Vincent, R. B. (1920) 574-576.

(8) cf. interim H. Vincent, *Les fouilles americaines de Beisán* R. B. (1922) 111-115; (1923) 430-441; (1924) 424-427; A. Mallon, in *Biblica*; (1926) pp. 106-118 et ante omnia Fisher in: *The Museum Journal* 14 (1923 pp. 227-248.

b) Minores explorationes habuere locum in :

'Akkâ (St. Jean d'Acre); remota sunt rudera, quae celebrem cryptam medioaevalem cooperiebant.

'Atlît ; ⌒ in arce Crucigerorum effossae sunt cryptae, arcus et habitacula ; insuper in arcis subterranea (ex parte NE) aditus patet.

Tell el-Fûl susceptae effossiones ab American School of Archaeology (1) ;

Tell Ǧemmeh (cf. PEFQ. St. 1923 p. 140) ;

Tanṭûra-Dor (cf. R. B. [1924] p. 422 s. ; — insuper British School of Archaeology, Bulletin N° 4. 6. 7.) !

Ǧezer (cf. Biblica 5 [1924] p. 228) ;

Gaza (cf. PEFQ. St. [1923] p. 11–36) ;

circa *Mare Mortuum* ab A. Mallon (2) et sociis.

'Amwâs basilica (cf. Vincent, R. B. [1926] 117–121).

Beit Ǧibrîn ; — villa graeco-romana e III (?) saec. ante Chr. est effossa (3).

'Ain Dûk (penes Ierichuntem) ; — ubi pulchrum opus musivum hebraicum inventum et exploratum est (4).

(1) cf. H. Guthe, *Amerikanische Ausgrabungen in Palaestina* in ZDPV (46) 220–423, et ipsius Albright, W. F., *Excavations... at Tell el-Ful* (Gibe'a), Cambridge (Mass) 1924.

(2) Cf. *Voyage d'exploration au sud-est de la Mer Morte* (Biblica [1924], p. 413–455).

(3) H. Vincent, *Une villa gréco-romaine à Beit Djebrin*, R. B. (1922) 259–281, F. A. Abel, *Découvertes récentes à Beit Djebrin*, R. B. (1924) 583–604 ; (1925) 267 ss.

(4) Clermont-Ganneau, *La mosaïque juive d'Ain-Douq* (Comptes rendus de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres 1919) ; — H[ugues] V[incent], *Le sanctuaire juif d'Ain Douq*, R. B. (1919) 532–536 ; (1921) 442 s. ; 579–601.

Caesarea ; — sculpturae et vasa fictilia inventa, quae initium museo dederunt.

Tell Hûm (Capharnaum) ; — effossiones circa antiquam huius loci synagogam complevit et publici iuris fecit G. Orfali (1).

Megiddo ; — explorationes inceperunt (commissae universitati de Chicago).

el-Ḥammâm (prope Tiberiadem) ; — Hebrew Archaeological Society (ope Dr. N. Slousch) suscepit explorationes antiquae synagogae huius loci arcisque herodianae (2).

Ascalon ; — Palestine Exploration Fund et anglicae Scholae Archaeologicae sumptibus incepit effossiones Prof. Garstang (3).

(1) G. Orfali, *Capharnaüm et ses ruines*, Paris 1922.

(2) H. Vincent, *Les fouilles juives d'el-Hammam ;* R. B. (1921) 438–442 ; (1922) 115–122 ; — cf. insuper N. Slousch in publicatione hebraica Ḳôbeṣ, Jâfâ 1922.

(3) Cf. interim F. M. Abel, *Les fouilles d'Ascalon*, R. B. (1921) 102–106 ; H. Vincent, R. B. (1922) 99–111 ; — Garstang, *Les fouilles à Ascalon* (1920–1921) in PEFQ St. (1921) pp. 12–16 ; (1922) pp. 112–119 ; (1923) pp. 60–84.

§ 11. **Bibliographia** selecta de *geographia totius Palaestinae :*

a) Opera : E. Ritter, *Allgemeine Erdkunde* t. 15-17, [2] 1850-55 ; idem, *The comparatif Geography of Palestine and the Sinaitic* Peninsula, 5 voll. Edinburgh, 1866 ; — V. Guérin, *Description ... de la Palestine*, 7 vol. Paris 1868-80 ; idem, *La Terre Sainte*, 2 vol. in folio, Paris 1882-1884 ; — G. A. Smith, *The Historical Geography of the Holy Land*, London [13] 1907 ; — F. Buhl, *Geographie des alten Palästina*, Tübingen 1896 ; — E. Robinson, *Palästina und die angrenzenden Länder*, 1841, 3 voll. ; idem, *Neuere biblische Forschungen in Palästina*, Berlin 1855 ; idem, *Physische Geographie des hl. Landes*, Leipzig, 1865 ; — *The Survey of Western Palestine*, 9 voll. in folio, London 1881-1888 ; *The Survey of Eastern Palestine*, 1 vol. in folio, London 1889 (by C. R. Conder) a " Palestine Exploration Fund „ edita ; — E. Stapfer, *La Palestine aux temps de Jésus-Christ*, Paris 1868, [8]1908 ; — Townsend Mac Coun, *The Holy Land in Geography and in History* 2 voll., London 1897 ; — D. Zanecchia, *La Palestine d'aujourd'hui*, 2 voll., Paris 1899 ; — A. Kirchhoff, *Palästinakunde*, Halle a. S. 1898 ; — B. Pons, *Geografia biblica della Palestina con illustrazioni*, Firenze 1902-1911 ; — A. Penrhyn Stanley, *Sinai and Palestine in connection with their history*, London 1905 ; — J. B. Calkin, *Historical Geography of the Bible Lands*, Philadelphia [3] 1907 ; — H. Guthe, *Palästina*, Bielefeld 1908 ; — J. Kelman, *The Holy Land*, London 1909 ; — M. de Vogüé, *Syrie, Palestine, Mont Athos*, Paris 1910 ; — Wł. Szczepanski, *Palestyna za czasów Chrystusa*, Wieden 1920 ; idem, *Palestyna po wojnie światowej*, Kraków 1923 ; — Brassac A., *Géographie biblique* (ouvrages à consulter, atlas, cartes murales) in : *Revue apolog.* t. 33, pp. 248-251 ; — D. Trietsch, *Palästina Handbuch*, Berlin-Wien [8] 1922 ;

b) Chartae geographicae : Conder-Kitchener, *Map of Western Palestine* 1872-1877 in 26 foliis ; eadem reducta (1881) in 6 foliis ; — Fischer, Guthe et Dalman, *Wandkarte von Palästina* 1910 ; Handkarte 1913 ; — J. G. Bartholomew and G. A. Smith, *A New Topographical ... Map of Palestine*, Edinburgh 1901 ; — R. Kiepert, Palästina 1911 ; eadem minor in Atlante Kieperti : *Formae orbis antiqui* 1911 ; — G. Schumacher, *Karte des Ostjordanlandes*, 1908-1924 ;

c) Atlantes: Th. Menke, *Bibel-Atlas* 1868; — L. Cl. Fillion & H. Nicole, *Atlas géographique de la Bible*, Lyon & Paris 1890; — K. Miller, *Mappae mundi* (antiquae) Stuttgarti 1895-98; — M. Hagen, *Atlas biblicus* (116 pag. 22 Tab.), Paris 1907; — H. Guthe, *Bibelatlas* (VI pag. 13 tab.), Leipzig 1911; — G. A. Smith & J. G. Bartholomew, *Atlas of the historical Geography of the Holy Land*, London 1915; — L. Grammatica, *Testo Atlante di Geografia Sacra I*, Bergamo 1902; *Atlas geographiae biblicae*, Bergamo 1921; — Benzinger & Miller, *Lichtbilder...*[2] (1924); — perutiles etiam sunt: Dalman G., *Hundert deutsche Fliegerbilder aus Palästina*, Gütersloh 1925; — R. v. Riess, *Atlas Scripturae S.* edit. II. rec. C. Rueckert, Freiburg in B. 1906; edit. III recensuit L. Heidet (1925).

d) Manualia pro peregrinatoribus: Professeurs de N. D. de France à Jérusalem. *La Palestine*, Paris ([1] 1904; [2] 1912), [3] 1924 (XLIV, 802 p.). — B. Meistermann, *Guide de Terre Sainte*, Paris ([1] 1907) [2] 1923. — K. Baedeker, (J. Benzinger), *Palästina und Syrien*, Leipzig ([1] 1875, Socin) [7] 1910. — H. Ch. Luke & Keitsch-Roach *The Handbook of Palestine*, London 1922.

N. B. — Bibliographia specialis suis locis dabitur.

ABBREVIATIONES

W. = Wâdi (vallis)
Ğ. = Ğebel (mons)
Ḫ. = Ḫirbe[t] (ruinarum cumulus)
N = septentrio
S = meridies
E = oriens
We. = occidens
NE = septentrionalis oriens
NW = „ occidens
SE = meridionalis oriens
SW = „ occidens
ZDPV = Zeitschrift des deutschen Palästina-Vereins
RB = Revue Biblique internationale
BZ = Biblische Zeitschrift
B. I. = Bellum Iudaicum Fl. Iosephi
Ant. = Antiquitates Fl. Iosephi
PEFQSt = Palestine Exploration Fund, Quarterly Statement
MuNDPV = Mitteilungen und Nachrichten des deutschen Palästina-Vereins.

N. B. — Alia similia per se cognoscentur.

Nomina arabica transcripta sunt ordinarie non in forma classica, sed in forma, qualis in populi ore deprehenditur. In Syria non raro, in Palaestina saepius, consonans *ǧ* induit characterem et functiones consonantium, quae *samsiyye* audiunt, i. e. quae assimilant sibi *l* articuli (*el*). Cum tamen hic usus nec universalis nec correctus sit, ab eo potius abstinendum mihi duxi.

ABBREVIATIONES

IN CITANDIS LIBRIS S. SCRIPTURAE

Gen., Ex., Lev., Num., Deut., Ios., Iud., Ruth, 1 Sam., 2 Sam., 3 Reg., 4 Reg., 1 Par., 2 Par., Esdr., Neh., Tob., Iudith, Esth., Iob, Ps., Prov., Eccl., Cant., Sap., Eccli., Is., Ier., Threni, Bar., Ez., Dan., Os., Ioel, Am., Abd., Ion., Mich., Nah., Hab., Soph., Ag., Zach., Mal., 1 Mac., 2 Mac.; — Mt., Mc., Lc., Ioh., Act., Rom., 1 Cor., 2 Cor., Gal., Eph., Phil., Col., 1 Thess., 2 Thess., 1 Tim., 2 Tim., Tit., Philem., Hebr., Iac., 1 Petr., 2 Petr., 1 Ioh., 2 Ioh., 3 Ioh., Iudas, Apoc.

PARS I

PALAESTINA PHYSICA

QUAE NUNC EST

SENSU LATO SUMPTA

CAPUT I

Notiones Generales

Bibliographia *ad geologiam Syriae (et Palaestinae).* — Abundantem bibliographiam huc spectantem collegit Fr. Toula, in *Jahresbericht des naturwissenschaftlichen Orientvereins* für 1905 (1906), 37–75.

M. Blanckenhorn, *Beiträge zur Geologie Syriens: Die Entwickelung des Kreidesystems in Mittel- und Nordsyrien*, Berlin 1890; *Grundzüge der Geologie und physikalischen Geographie von Nordsyrien*, Eine geographisch-geologische Skizze, Berlin 1891; *Die Strukturlinien Syriens und des Roten Meeres*, 1893; *Abriss der Geologie Syriens*, in Altneuland 1 (1904) 289–301; 2 (1905) 129–135. 177–184; *Geologie der näheren Umgebung von Jerusalem* in ZDPV 28 (1905) 75–120; *Kurzer Abriss der Geologie Palästinas* (mit 2 Karten) in ZPDV 35 (1912) H. 3; *Naturwissenschaftliche Studien am Toten Meer und im Jordantal*, Berlin 1912; *Die Steinzeit Palästina-Syriens und Nordafrikas*, Leipzig 1921.

E. Hull, *Memoir on the Geology and Geography of Arabia Petraea, Palestine* etc., London 1886.

Koert W., *Geologische Beobachtungen in Syrien und Palästina* in Zeitschrift der Deutschen Geologischen Gesellschaft 76 (1924) pp. 1–59.

D. Lafferrière, *La faille du Jourdain et le fossé Syro-Africain* RB (1924) pp. 85–106.

Krenkel, *Der Syrische Graben* in Zentralblatt für Mineralogie (1924) Heft-10 p. 274–280. 301–312.

§ 12. **Nomen et statistica Palaestinae, quae nunc est.** — Distingui debet denominatio naturalis et politica. Si primam respicias, Palaestinae nomine diversis temporibus regio diversae extensionis designabatur (cf. §§ 26–28); hodie, sensu lato, designatur hoc nomine Syria

meridionalis, quae a Tyro et Ḥermône ad peninsulam Sinai inclusive et a desertis locis Syriae (el-Ḥamâḍ ac eṣ-Ṣawwân) ad mare Mediterraneum usque porrigitur. Sensu stricto ea terra appellatur, quae a regione Tyri usque Negeb exclusive protenditur ; — seu a 30° 30′ ad 33° 18′ latitudinis septentrionalis et a 34° 15′ (Tell er-Refaḥ) ad 36° (el-Ḥamâḍ) resp. 37° (Ḥaurân) longitudinis a meridiano Greenwich. Duae partes distinguuntur huius Palaestinae naturalis: cisiordanica (occidentalis) est 15.643 km² ; transiordanica (orientalis, sine Damasco) est 9.481 km². Totum igitur spatium est 25.124 km² quod fere par est Siciliae (25,461 km²), vel Sardiniae (23.800 km²), vel Belgio (29.459 km²). Palaestina naturalis (sensu lato) cum Sinai, Negeb et Edom c. 100.000 km² superficiei habet.

Post bellum ultimum, Palaestinae nomine — sub respectu politico — designatur saepe sola Palaestina cisiordanica, Iudaeis tanquam " National Home „ tradita; regio ad orientem Iordanis sita (sine Damasco) Arabibusque relicta Transiordania saepe audit. Divisio haec, mere administrativa et politica, nullo geographico vel historico fundamento nititur. Hoc igitur tractatu, nisi aliud expresse notetur, Palaestinae nomine tota naturalis regio cis et trans Iordanem (cum Damasco) comprehendetur ; in descriptione vero physica Palaestinam insuper late sumptam ante oculos habere necesse est.

Incolarum numerus in Palaestina politica, secundum censum die 24 oct. anni 1922 peractum, est hic : Palaestina cisiordanica (cum Negeb) habet 757.182 incolas ; e quibus sunt 590.890 mahometani, Arabes vel arabice loquentes Syri ; 73.024 Christiani, inter quos eminent schismatici Graeci (c. 43.000) et catholici (30.000) ; Iudaei (cum Sefaradîm, tum Aškenazîm) a. 1922 erant 83.794 (a. 1926 ineunte sunt iam 138.000). Palaestina transiorda-

nica (cum Damasco ?) habet circiter 500.000 Arabum ; ita ut numerus incolarum totius Palaestinae naturalis ad 1.250.000 ascendat.

Situs et character generalis. — Palaestina centrum antiqui orbis historici occupat, id quod illi maximo momento fuit. In eam multae viae mercatoriae Orientis ferebant (cf. cap. XII). Iudaeae tamen montana regio, propter inopiam commodarum vallium, difficulter adiri potest ; adeoque Iudaea satis reclusa et propriae evolutioni relicta erat (cf. Num. 23, 9 ; Dt. 33, 28).

§ 13. **Geologica Palaestinae initia.** — Totius Syriae configuratio revolutionibus geologicis debetur. In periodo eocaena tota Syria, Mesopotamia et Aegyptus adhuc mari submersae erant. Paulatim, durante periodo miocaena, e mari emersit magna illa planities alta, hinc inde tumulis collibusque consita, quae postea Aegyptus, Syria et Mesopotamia appellata est. — Praetermissis aliis periodis hoc retineamus : initio periodi (pluvialis) diluvialis (veteris) tota Syria terrae motibus in duas partes parallelas divisa est profunda fissura (valle), quae ab Antiochia usque el-'Aḳaba patet, ex utraque parte montium catenis circumdata (N-S). Haec fissura quoad tempus et causas cum magna illa fossa syro-africana, quae initium mari Rubro dedit, probabilissime in stricta relatione fuit. — Tres fluvii hanc vallem perfluunt : Orontes (Nahr el-'Āṣî), Ps.-Leontes (Nahr el-Lîṭânî, in cursu inferiore Nahr el-Ḳâsimiyye dictus) et Iordanes. — Ad orientem huius vallis invenitur excelsa planities, quae in desertum Syriacum exit ; in ea planitie iuga montium considerunt, ut Antilibanus [2680 m.], Ḥermôn [2760 m.], Ḥaurân [1839 m.], montes transior-

danici [1300 m.], eš-Šerâ [1650 m.] et montes Madyan [c. 2000 m.]. Ad occidentem huius vallis-fossae longa etiam montium series invenitur, ut Amanus [1840 m.], Casius-Bargylus [1027 m.], Libanus [3360 m.], montes Galilaeae [1199 m.] et Iudaeae [1500 m.], Negeb [1370 m.] et Sinai [2606 m.]. Separantur vero inter se transversis vallibus Orontis, Eleutheri (Nahr el-Kebîr), Ps.-Leontis (Nahr el-Ḳâsimiyye), Yizre'el, W. Ġazze. — Scissurae pars septentrionalis vocatur *el-Ġâb*, inferius *el-Biḳâ'* (antiquitus Massyas); pars meridionalis i. e. palaestinensis vocatur *el-Ġôr* (usque ad mare Mortuum), deinceps: *el-'Araba*.

Terrae motus, qui hodiernae configurationis totius Syriae causa fuere, adhuc non quieverunt. Historia teste, Palaestina saepius terrae motus passa est. Sic ex. gr. temporibus Oziae (Am. 1, 1; Zach. 14, 5), regnante Herode M. (a. 31 ante Chr.), ut recentiores casus (vg. a. 1837 in Galilaea, vel 1906 in Syria) praetermittam.

Vulcanicae insuper eruptiones temporibus praehistoricis transformarunt regiones: Ğôlân, el-Leǧâ [Trachon], Ḥaurân, vicinias Ṣafed, Tiberiadis et Nain, terras quae sunt circa Yarmuk fluvium et ad orientem maris Mortui (vg. Callirrhoë). — Hinc diversa est harum regionum compositio geologica. Pars cisiordanica est imprimis cretacea; regiones vulcanicae constant ex lapide granite, porphyrite et basalte, nunc in partes constituentes dissoluto, ideoque valde fertili (ut vg. in en-Nuḳra). Ora maritima partim e solo sabuloso et arenoso, partim e gleba lutea constat. — Valles plurimae praesertim erosioni aquaticae pluviarum torrentiumque debentur, quod evidenter probat, Palaestinam temporibus praehistoricis fortiorem aquarum copiam quam hodie possedisse, etiamsi negari nequeat, etiam hodiernis temporibus pluvias periodi hiemalis ma-

gnas terrae mutationes producere, ut id de aevo israelitico Scriptura affirmat (Is. 38, 2; 30, 28; Mt. 7, 27).

§ 14. Natura caeli *seu* "clima„ palaestinense

Bibliographia: I. Hann, *Handbuch der Klimatologie* I³ 1908; — M. Blanckenhorn *Studien über das Klima des Jordantals*, in ZDPV 32 (1909) 38-109; — H. Lammens, *Le climat syro-palestinien autrefois et aujourd'hui*, in *Etudes* 76 (1898) p. 767-790; — R. Zumoffen, *La météorologie de la Palestine et de la Syrie*, in *Bulletin soc. géogr.* 20 (1896) p. 344-364; — Chaplin, *Das Klima von Jerusalem*, in ZDPV 14 (1891) p. 93 ss.; — I. Glaisher, in PEFQSt ab a. 1888 ad a. 1901; — D. Trietsch, *Palaestina Handbuch*⁵ (1922) p. 49-55; — F. M. Exner, *Zum Klima von Palästina*, in ZDPV 33 (1910) p 107-164.

Ratione situs geographici Palaestina ad regionem zonae torridae ("subtropicae„) pertinet habetque eius proprietates, duas vdl. temporis periodos: *periodum pluviarum* (hiemalem, inde a mense novembri ad aprilem) et *siccam* (aestivam, inde a mense maio ad octobrem). Idem erat antiquitus; teste Scriptura חֹרֶף vel גֶּשֶׁם = pluvia, hiems et קַיִץ = aestas (Gen. 8, 22; Zach. 14, 8; Ps. 47, 17; Cant. 2, 11).

In climate tria sunt distinguenda: venti, pluvia, temperatura.

a) ***Venti*** certa quadam constantia atque ordine dominantur in Palaestina, quae ad etesiarum regionem spectat, qui tamen etesiae ob loci condiciones aestate flant a NW (e mari); hieme vero a NE (e terra versus mare), vel a W et SW (et tunc pluvias afferunt, cf. Luc. 12, 54). Idem phaenomenon minorem in modum cottidie accidit, quae mutatio calores aestivos minuit.

In specie: Ventus *septentrionalis*, qui medietenus 30 diebus per annum flare consuevit, est siccus et valde frigidus (Iob 37, 9); ventus

meridionalis (c. 11 diebus per annum) est calidus; ventus ex *oriente* (c. 49 diebus per annum) affert siccitatem, ventus ex *occidente* (c. 59 diebus) affert humiditatem et pluvias. Ventus e *septentrionali occidente*, qui est frequentissimus, (nam flat 114 diebus per annum et 79 diebus a maio ad octobrem), sicut et *ventus septentrionalis* accidunt ordinarie mensibus aestatis. *Venti orientales* (ex septentrionali oriente [33 diebus per annum] et ex meridionali oriente [c. 23 diebus per annum]), insuper venti *ex occidente* aut *SW* flant ordinarie ab octobri ad maium (per 67 dies); in aestate sunt rariores. Venti orientales, nisi deveniant violenti, sunt gratissimi hieme, aestate tamen tantae aliquando sunt violentiae, ut equites ac iumenta in terram prosternere valeant.

Maxime nocivus est ventus, qui *ex meridionali oriente* flat, quippe qui ex magno aridoque deserto arabico veniat. Hic speciali nomine *šerḳiyye* vel *samûm* aut *ḥamsîn* audit, apud Hebraeos vero קָדִים vocabatur; — Italicus *scirocco* ei aliquomodo re, sicut et nomine, similis est. Šerḳiyye ordinarie affert Palaestinae magnum calorem (usque ad 50° C.); aër sine ozone est tunc incredibiliter siccus. Hoc vento flante homines se fatigatos ac remissos, ne dicam flaccidos, sentiunt; aliquoties febri ac capitis dolore quatiuntur. Siccitas nonnunquam devenit tanta, ut non solum humor ex omni re pellatur, sed etiam plantae, immo toti triticei campi, hoc vento urente, quasi igne afflati ac tosti evadant. Periculosissimus vero tum hominibus tum animalibus fieri potest, si tempestatis characterem induit; tunc enim aërem subtili ac tenui pulvere replet, omnibus viventibus vere intolerabili ac nocivo. Et haec quidem saepius mensibus maio et octobri, ergo in periodo aestiva, accidere solent.

Periodus pluviosa in genere loquendo, licet molesta, tamen sanitati est ordinarie salubrior ac magis propitia, quam vg. aestas, in qua fluctuatio caloris diurni ac nocturni (ad 11° C. ascendens), non raro vehementibus febribus dat locum, et in qua magnus calor hominem serii ac fatigantis laboris, praecipue intellectualis, saepe fere impotentem reddit.

Sed etiam infaustis hisce aestatis mensibus Providentia insigne affert levamentum in periodico illo quotidiano flatu levis aurae occidentalis, quae oram maritimam mane reliquens, circa meridiem in montes advenit, atque aëris siccitatem caloresque non parum mitigat. Idem

ventus, quae interdiu homini praestiterat, eadem flando noctu et versus mare redeundo, plantis quoque causat, quibus humorem maritimum, in forma abundantissimi roris, quasi caelestem quendam potum ac refrigerium affert et duram earum vitam in ariditate aestiva hoc modo sustinet. Si tamen, quod nonnunquam accidit, exoptatus hic ventus deficiat, tunc noctes tanti sunt caloris, ut somnus a mortalium palpebris longe exsulet.

b) ***Pluvia.*** Mense octobri ad finem vergente et mense novembri cadit "pluvia temporanea„ (Deut. 11, 14; Ier. 5, 24) יוֹרֶה vel מוֹרֶה, quae terram abluit, emollit ac sementi aptam reddit. Inde a mense decembri ad februarium usque cadunt pluviae torrentes (גֶּשֶׁם Gen. 8, 2; מָטָר Prov. 27, 15), quae agros exsatiant, cisternas implent, fontes alunt. Martio venit "pluvia serotina„ (מַלְקוֹשׁ, Deut. 11, 14), quae condicio est, sine qua non potest esse vita nec fructus novarum plantarum (Am. 4, 7). Altitudo pluviarum, quae in Palaestina (4 mensibus) decidunt, si mediam mensuram respicimus, 600 mm. superat (1). Tempore aestivo pluvia rarissime cadit (1 Sam. 12, 17), plantarum vero vita uberrimo rore nocturno sustentatur, qui omni fere nocte (inter mediam noctem et solis ortum) cadit (Gen. 27, 28. 39; Os. 14, 6; Cant. 5, 2; Mich. 5, 6; Iudc. 6, 38).

c) ***Temperatura*** diversis locis ac temporibus diversa est. Tres zonae sunt distinguendae:

a) In depressione iordanica clima et temperatura sunt zonae "tropicae„ (media totius anni 25° C). Mense maio calores in umbra ad 40° C, iulio ad 50° C ascendunt; venti enim, in el-Ġôr et in el-'Araba — (mon-

(1) Pro Ierusalem, medietenus 60 diebus in anno. Haec altitudo (600 mm.) maior est quam vg. Londinensis (589 mm.), quae insuper totius est anni. Ex ipsa hac comparatione pluviarum palaestinensium vehementia et abundantia plene ponderari potest.

tium pariete ab oriente et occidente circumdatis, (qui ventis liberum ingressum non permittunt), — flant aestate a meridie, hieme a septentrione. Ob easdem rationes messis hordei Ierichunte finitur circa 20 aprilis, messis vero tritici circa 15 maii; dum e contra in agro Tiberiadis messis tritici ordinarie circa 10 iunii absolvitur.

b) In ora maritima temperatura media totius anni est 22° C; — mense februario media Beryti est c. 15° C; Gazze c. 17°; — mense augusto media Beryti est 29° C; Gazze c. 32° C; — messis tritici ibidem ordinarie initio iunii finit. Pluvia est minus abundans, quam in montibus.

c) In montibus Palaestinae. Media temperatura anni Ierosolymis est 17° C; februario (qui est frigidissimus mensis) media c. 8° C; augusto (qui est calidissimus) media 25° C. Noctes glaciales circiter quinquies in anno accidunt in regione montana; nix non est rara (Ps. 147, 16), sed plerumque non abundans, statimque evanescit. Differentia caloris diei et noctis eodem die est c. 11° C., eodem mense c. 22° C. Hae differentiae efficiunt, ut in montibus Palaestinae caelum potius continentis terrae proprium sit. — Haec caloris diurni et nocturni differentia, cuius iam Scriptura meminit (Gen. 31, 40; Ier. 36, 30), adhuc magis in montibus transiordanicis sentitur, ob characterem regionis magis terrae continentis aequalem. Ibi glacies et nix tempore hiemis res sunt satis notae (cf. Iob 6, 16).

Quae condiciones naturae caeli fuerunt ante Christum natum? — Maiorem mutationem accidisse, plerumque historici negant. Differentia singularum periodorum maior quidem esse potuit, media tamen temperatura eadem ac nunc fuisse videtur. Maior insuper irrigatio certo locum habuit ob maiorem silvarum frequentiam.

CAPUT II

Plantae et animalia palaestinensia

Bibliographia : H. B. Tristram, *The Fauna and Flora of Palestine*, editum in "Survey of Western Palestine„. London 1884; idem, *The Natural History of the Bible*[10] 1911; — P. Cultrera, *Flora Biblica*, Palermo 1861, *Fauna Biblica*, Palermo 1880; — G. Loreta, *La zoologia nella Bibbia secondo la Volgata*, Torino 1901; — M. Calcott, *A Scripture Herbal*, London 1842; — H. Chichester Hart, *The Fauna and Flora of Sinai*..... 1891; — A. H. Knight, *Bible Plants and Animals*, 1889; — G. Post, *Flora of Syria, Palestine and Sinai*, Beirut 1896; — E. Boissier, *Flora Orientalis*, Basileae 1867–1888; — O. Ankel, *Grundzüge der Landesnatur des Westjordanlandes*, Frankfurt a. M. 1887; — L. Fonck, *Streifzüge durch die biblische Flora*, Bibl. Studien V, 1. Freiburg in B. 1900; — I. Wimmer, *Palästinas Boden mit seiner Pflanzen und Tierwelt*. Köln 1902; — O. Keller, *Die antike Tierwelt*, Leipzig I, 1909; — A. Kneucker, *Zoologische Ergebnisse zweier... Studienreisen durch die Sinaihalbinsel*... I, 1909; — I. E. Dinsmore et G. Dalman, *Die Pflanzen Palästinas*, in ZDPV 34 (1911) 1–38. 147–172. 185–241; — Killermann S., *Die Blumen des hlg. Landes*, Leipzig 1917; — Roubinowitsch E., *Dictionnaire latin-arabe-hébreu des plantes de la Palestine*, Jerusalem 1919; — G. Dalman, *Palaestinische Tiernamen*, in ZDPV 46 (1923) 65–78; — F. Bodenheimer, *Die Tierwelt Palästinas*, in "Das Land der Bibel„ 3, 3. 4 (1920); — L. Fillion, *Atlas d'histoire naturelle de la Bible*, Paris 1884; — L. Frohnmeyer et I. Benzinger, *Bilderatlas zur Bibelkunde*, 1905; [3]1913.

§ 15. **Plantae.** — Palaestina maxime contraria intra limites suos coniungit. Prope regiones tropico climate instructas ac plantarum luxurie excellentes (ut el-Ġôr), — inveniuntur horrida loca deserta. Maior tamen terrae pars, licet non pari modo, est frugifera ac fertilis. Maxime fer-

tilis est Galilaea et Gôlân cum en-Nuḳra; satis fertilis Samaria, Gala'ad et Moab; minus frugifera Iudaea etc., quae tamen, excepto "deserto Iuda", tum vitium culturae tum pascuis apta est.

Quod ad silvas spectat, Palaestina hodierna iis non abundat. Minores silvae in Gala'ad, Galilaea, Ǧôlân et in monte Carmelo reperiuntur. Paulo meliore loco hac in re fuit Palaestina antiqua; יַעַר significat potius "fruticetum" (virgulta longius latiusque patentia). Solum *cedri* (אֶרֶז arab. arz) montis Libani hoc nomine "silvae" vocari potuerunt. — Ex arboribus ac arbustis maioris momenti, quaeque saepius nunc adhuc occurrunt, sunt: *quercus* conifera (arab. sindiyân אֵלוֹן), *terebinthus* pistacia (arab. buṭm אֵלָה), *pinus* pinea (arab. ṣnôbar אַלְמֻגִּים), *platanus* (arab. dilb עַרְמוֹן), *tamarix* (arab. ṭarfâ', neṭel, aṯl, אֹשֶׁל), *nerium oleander* (arab. difle), *acacia* (arab. seyyâl, sanṭ שִׁטָּה), *populus euphratica* in el-Ġôr (arab. ġarab עֲרָבָה), *styrax* officinalis (arab. libna נְבָאט), *cupressus* (arab. saru בְּרוֹשׁ), *ricinus communis* (hedera Vulg., arab. ḫarwa' קִיקָיוֹן?), *retama* (arab. retem רֹתֶם).

Ex arboribus frugiferis in primis commemorari debent: *oliva* (arab. zait זַיִת), *ficus* (arab. tîn תְּאֵנָה), *punica granatum* (arab. rummân רִמּוֹן), *ficus sycomorus* (arab. ǧummêz שִׁקְמָה), *iuglans* regia (arab. ǧôz אֱגוֹז), *prunus* domestica (arab. uǧǧâṣ), *pirus malus* (arab. tiffâḥ תַּפּוּחַ), *pirus* communis (arab. inǧâṣ אַגָּס). — In ora maritima gignuntur: *citrus aurantium* (arab. burdeḳân), *citrus medica* (arab. trunǧ), *palma phoenix* dactylifera (arab. naḫl תָּמָר); temporibus biblicis palma celebris fuit praecipue in el-Ġôr et prope 'Ain Ǧidî. — Praeteriri tandem silentio nequit *vitis* (גֶּפֶן [cf. arab. ǧafn] vel שׂוֹרֵק, arab. karma, 'arîš),

quae in vineis (arab. karm כֶּרֶם, שֹׂרֵקָה), nunc minus, olim maxime diffusis, Palaestinae fortasse dedit nomen regionis manantis "lac et mel„ — si nimirum (sec. nonnullos) voce "mel„ (דְּבַשׁ) intellegatur "mel uvarum„ (arab. dibs)(1).

Inter fructus agri eminet *hordeum* (arab. ša'îr שְׂעֹרָה), et *triticum* (arab. ḳamḥ, ḥinṭa, חִטָּה), quorum cultura celebres sunt (ut antiquitus ita hoc tempore): regio transiordanica (Ez. 27, 17; 2 Par. 27, 5), Galilaea, planities Esdrelon et magna ex parte ora maritima inter Ġazzam et Carmelum. Nostra aetate, post neglectam per tot saecula culturam agrorum, solum palaestinense adhuc est fertile; aevo biblico afferebat fructum tricesimum, sexagesimum, immo centesimum (Matth. 13, 8). His temporibus satis frequenter seritur etiam *zea mays* (arab. ḏurra franǧi) et *sorghum annuum* (ḏurra bêḍa); non raro cernuntur legumina ut: *fabae* (arab. fûl פּוֹל), *erva lentes* (arab. 'adas עֲדָשִׁים), *panicum miliaceum* (arb. duḫn דֹּחַן). Hisce addantur *melones* (arab. battîḫa aṣfar אֲבַטִּחִים), *cepae* (arab. baṣal בָּצָל), diversi generis *rapae* (arab. lift, sulǧum) et praesertim *cucumeres* (arab. ḫiyâr, ḳuṭṭâ' קִשּׁוּאָה), quorum crudorum ingens copia etiamnunc consumitur. Quare concedi debet, Palaestinam universe spectatam esse et fuisse, terram fertilem, "bonam„ (Deut. 4, 21), "terram frumenti, hordei ac vinearum, in qua ficus et malogranata et oliveta nascuntur, terram olei ac mellis, ubi absque ulla penuria comedes panem tuum et rerum omnium abundantia perfrueris, cuius lapides ferrum sunt et de montibus eius aeris metalla fodiuntur„ (Deut. 8, 8 s.). Solum ipsius insuper post hiemales pluvias pulcherrima florum omnis generis varietate distinguitur.

(1) Cf. tamen contra E. Power, in "Verbum Domini„ 2 (1922) 52–58.

Iuvabit florum breviter meminisse. In agris saepe inveniri potest: *anemone* (arab. šaḳâiḳ שׁוּשַׁן ?), *ranunculus* (arab. ḫauḏân), *narcissus* (arab. narǧis vel runǧus), *crocus* (arab. kurkum כַּרְכֹּם), *tulipa* (arab. zenbaḳ), *iris* (arab. sûsan שׁוּשַׁן); — dum e contrario in desertis et locis aqua destitutis ingens varietas est *carduorum* (חוֹחַ), *veprium, spinarum* (arab. šauk קוֹץ, חֵדֶק, כְּנֶה, שֵׂךְ, סִיר, אָטָד, צֵן, שַׁיִת). In torrentium paludumque ripis attentionem cient diversae species arundinum (arab. ḳaṣab fârisi קָנֶה, אֵבֶה), et cannarum (arab. bardî סוּף), inter quas ad lacum el-Ḥûle et in valle Iordanis non postremum obtinet locum *cyperus papyrus* (Vulg. " scirpus „ גֹּמֶא, aegypt. ǧâmâ, arab. bâbîr), qui ibidem plurimus nascitur.

§ 16. **Animalia.** — A conformatione soli palaestinensis, eius climate et plantis magna ex parte vita animalium varii generis pendet. Videamus solummodo nonnulla praecipua (1).

a) Ex iis animalibus, quae mammis foetum educant (" mammiferis „), primum occurrunt animalia domestica ut: *ovis laticaudata*, et *capra hircus* (utrumque in V. T. צֹאן, arab. ḍâ'n), deinde *bos taurus* (arab. baḳar בָּקָר), fortis sed parvae staturae, et *vacca*. In valle Iordanica et prope lacum el-Ḥûle reperitur quoque *bos bubalus* (arab. ǧamûs). Ad vehendum usurpatur *asinus* (arab. ḥimâr חֲמוֹר), *mulus* (arab. baġl פֶּרֶד); — *equus* (arab. ḥiṣân, faras פָּרָשׁ, סוּס) antiquitus rarius adhibebatur. In desertis vero ad omnia usurpatur *camelus dromadarius* (cum uno gib-

(1) Quod ad ordinem attinet sequor A. Legendre, in Vigouroux, *Diction. de la Bible*, IV 2041-2049, addendo — ut plurimum — aequivalentia arabica et hebraica.

bere, arab. ibil, ḏelûl, ǧamal גָּמָל). Silvestres in Ḥaurân vivunt: *asinus onager* (עָרוֹד), *asinus hemippus* (פֶּרֶא) et *hyrax syriacus* (arab. wabr שָׁפָן [?]). — E ruminantibus: cervina, ut *cervus elaphus* (arab. ayyil אַיָּל), *cervus capreolus* et *cervus dama*, satis raro occurrunt. Saepius iam *gazella dorcas* (צְבִי) in transiordanica regione inveniri potest, et pulchra *gazella arabica* (arab. ǧazâle), quae similiter ac *antilope bubalis* (יַחְמוּר [?]), *antilope addax* (דִּישׁוֹן) et *antilope leucoryx* (תְּאוֹ), trans Iordanem morantur. In deserto Iuda, circa mare Mortuum et in Moab occurrit pulchra *ibex sinaitica* seu *capra beden* (arab. beden יָעֵל).

Inter animalia domestica et bestias feras (carnivoras) medius est *canis* (arab. kalb כֶּלֶב), cum *fele*, qui vivunt sine proprietario, nomadice. — Cani affines occurrunt: *canis aureus* (arab. wâwî אִי), *vulpes nilotica* et *flavescens* (arab. ta'lab שׁוּעָל), *canis lupus* et *lupaster* (arab. ḏi'b זְאֵב); *canis hyaena* (arab. ḍabu' צָבוֹעַ), *et felis pardus* (arab. namir נָמֵר) circa mare Mortuum, in Gala'ad et Bâšân; *felis iubata* (arab. ḥêta) raro circa montem Tabor et in Galilaea superiore; rarius *felis caraca* (lynx, arab. fahd) et *pardalis* (arab. nimr); rarissime *ursus syriacus* (arab dubb דֹּב), qui solum in Palaestina transiordanica vagatur et sedem suam in Ḥermônem Libanumque transtulit.

E pachydermis commemorari debet: *sus scrofa* (חֲזִיר, arab. ḫanzîr) ubique diffusa. — Divitias regionis constituunt *caprae* (arab. 'anz עֵז) et *oves* (arab. ḍâ'n, צֹאן). — Non desunt variae species leporidarum, ut: *lepus syriacus* (arab. arnab אַרְנֶבֶת), *sinaiticus*, *lepus Iudaeae*. In montibus vallibusque occurrit *hystrix cristata* (arab. dul dul קִפּוֹד). — Abundat muridarum (arab. fa'r עַכְבָּר) familia, ut: *mus* alexandrinus, silvaticus, praetextus, mu-

sculus, *acomys* cahiricus, russatus, dimidiatus, *cricetus phoeus*, *gerbillus*, *psammomys oboesus*, *arvicola arvalis*, *sphalax typhlus* (arab. ḫuld חֻלְד), *sciurus syriacus* (arab. singâb). — Chiroptera et Insectivora sunt satis diffusa.

b) Avium circa 350 species in Palaestina occurrunt.

α) E familia passerum occurrunt *turdidae*, ut: erythacus luscinia, turdus merula; *sylviidae*, ut: sylvia cinerea, atricapilla; pycnonotus xanthopygus (arab. bulbul); *hirundidae*, ut: rustica, cahirica, rufula; *nectarinidae*, ut cynnyris Oseae; *fringillidae*, ut: carduelis elegans, serinus canonicus; *passeres* (arab. 'uṣfûr צִפּוֹר) domesticus, salicarius; *corvidae* (arab. ġurâb עֹרֵב), ut: corvus monedula, agricola, cornix, umbrinus; *alaudidae*, ut alauda cristata; *alcedinidae* ut: ceryle rudis, upupa epops (arab. hudhud דּוּכִיפַת ?); demum *cuculus canorus* et *picus syriacus*.

β) Ad raptatorum familiam pertinent: multae *striges* (arab. bûma), ut: athena persica (אֹחַ), strix flammea vel otus (תַּחְמָס), bubo maximus (יַנְשׁוּף), scops (arab. marûf קָנוֹז); dein *vultures*, ut: gypaetus barbatus (פֶּרֶס), neophron percnopterus, buteo vulgaris etc.; dehinc *aquilae* (arab. nisr נֶשֶׁר): chrysaetus, heliaca, elanga; *milvi* (אַיָּה): regalis, ictinus, migrans, aegyptius; *falcones* (arab. bâz נֵץ): peregrinus, lanarius, subbuteo, accipiter nisus.

γ) Postea: *ardea* (arab. balšim, אֲנָפָה, Vulg. charadrion), *ciconia* (arab. abû sa'îd חֲסִידָה), *phalacrocorax* carbo (Vulg. mergulus, arab. ḳûḳ שָׁלָךְ), *grus* (arab. kurkî, aram. עָגוּר), *pelecanus* onocrotalus (arab. nağa', ḳûḳ קָאַת) circa Tiberiadis lacum, *anser* (arab. wazz), *anas* (arab. baṭṭa), *cygnus* (arab. ardaf), *columba* (arab. ḥamâma, ruḳti יוֹנָה), *turtur* (arab yamâm תּוֹר). — Denique *gallinaceae* (arab. farûğ), ut: cacabis chukar (= perdix, arab. ḥağal חָגְלָה;

forte etiam קֹרֵא ?) et coturnix communis (arab. salwa' שְׂלָו). Quae si tot aliis addantur, facile perspicimus, quanta sit avium multitudo, quas Palaestina alit, aut saltem hospitio recipit. — Admodum raro occurrit struthiocamelus (arab. na'âma בַּת הַיַּעֲנָה).

c) E REPTILIBUS, quorum in Palaestina infinita est vis, notari saltem debent variae species: *serpentum* (arab. ḥayya, ṣill נָחָשׁ et שָׂרָף), ut ablabes, zamenis naia (hayye); *viperidarum* (arab. af'a', אֶפְעֶה etiam פֶּתֶן), ut vipera euphratica, daboia xanthina et cerastes (שְׁפִיפֹן); *lacertarum* (לְטָאָה = arab. ḥirdaun; חֹמֶט = ḥulaka), ut lacerta viridis, iudaica, laevis, uromastix spinipes (arab. ḍabb צָב; Vulg. crocodilon), monitor terrestris (arab. waran כַּח), stellio (שְׂמָמִית); *chamaeleon* vulgaris (arab. ḥirbâ תִּנְשֶׁמֶת), *crocodilus* (arab. timsâḥ תַּנִּין רַהַב, לִוְיָתָן) vivens rarus circa Ḳaisâriyye, *testudo* (arab. silaḥfât) etc.

d) AD AMPHIBIA spectant: *bufo* viridis et pantherinus ac *rana* esculenta (צְפַרְדֵּעַ [?], arab. ḍifda', sâmm).

e) PISCIUM (דָּגָה, arab. samak) species diversissimae occurrunt, praesertim in lacubus el-Ḥûle et Ṭabariyya; torrentes, in Iordanem currentes, etiam pisciculos minores continent. Nonnulla saltem nomina sufficiant: *chromis* (paterfamilias, niloticus, Tiberiadis, Andreae, Simonis), *blennius* (varus et lupulus), *mugil* auratus, *clarias* macracanthus, *cyprinodon*, *capoeta*, *barbus canis* etc.

f) INSECTORUM ingens numerus et varietas raro utilitati, saepius molestiae hominibus est. Habentur: coleoptera, ut calandra curculio (צְלָצַל, Vulg. rubigo ?) et elater segetis; — orthoptera, ut *locusta* (arab. ǧarâd, גֵּב, Vulg. bruchus), *acridium* peregrinum et *oedipoda* migratoria (אַרְבֶּה), truxalis (חַרְגֹּל, Vulg. ophiomachus),

attacus (תֹּלָעִים); — hemiptera, ut coccus ilicis (arab. kermes תּוֹלַע); — neuroptera, ut *libellula* et ephemera; — hymenoptera, ut *apes* (arab. naḥl דְּבוֹרָה), quae plerumque rusticae silvestresque sunt, *vespae* (צִרְעָה arab. dabbûr), *formicae* (arab. naml נְמָלָה); — lepidoptera, ut *tineae* (arab. ḥalam עָשׁ, סָס); — diptera, ut *pulex* irritans (פַּרְעוֹשׁ arab. burġût), *culex* (arab. ḥamûs כִּנִּים), dacus oleae "et omne genus muscarum„ (עָרֹב, זְבוּב arab. ḏubâb); — denique aptera, ut pediculi (arab. far'at כִּנִּים?).

g) Ex Arachnidis saepe deprehenduntur omnis generis *araneae* (עַכָּבִישׁ arab. 'ankabût), ut: tegenaria domestica et Epeire, acarus scabiei (arab. ǧarab גָּרָב, Vulg. scabies); *scorpiones* (arab. 'aḳrab עַקְרָב) praesertim buthus occitanus, satis periculosus.

h) Molluscarum tandem complures distinguuntur in Palaestina familiae, ut *clausilia* (praesertim in Libano et Galilaea), *helix* et *bulimus* (in valle Iordanis), *melanopsis* et *unio* seu margarita (in ipso Iordane eiusque affluentibus).

Sic ergo, — facta diligenti Palaestinae lustratione, — patet, eam respectu suae "faunae„ (et ex parte suae "florae„) extremam esse ad meridiem provinciam sic dictae zonae palaearcticae. Nihilominus tamen fere tertia pars specierum ad zonam aethiopicam pertinet, quae praesertim in valle iordanica diffusae sunt. Hae omnes species aethiopicae zonae transtulerunt huc (vel habuerunt ab initio?) suas sedes eo vdl. tempore, quo climatis calor cum plantas tum animalia aethiopica vitam in Palaestina agere patiebatur, scilicet ante periodum glacialem. In hac periodo plantae et animalia, in el-Ġôr nascentia, ibi vivere potuerunt, alio vero translata emortua sunt ac "florae„ et "faunae„ palaearcticae locum dederunt.

CAPUT III

Descriptio Palaestinae oro- et hydrographica

§ 17. **Characteristicum Palaestinae** maxime proprium est illa " profunda fossa „ vallis iordanicae, quae sub finem periodi miocaenae et initio diluvialis originem duxit, quando nimirum tota Syria per vires geologicas in duas partes sibi parallelas disrupta est. Eaedem vires planitiem quoque cretaceam, quae Palaestinam constituit, in altum elevarunt, atque duo montium iuga (cis- et transiordanicum) effecerunt. Iugum utrumque (occidentale et orientale) versus Iordanis vallem in praeceps ruit, versus oram vero maritimam ex una parte, ex altera versus desertum orientale lente et paulatim humilius fit. Hinc in tota Palaestinae superficie tres quasi zonae terrestres, sibi fere parallelae, e septentrione versus meridiem currentes, distingui recte possunt, vdl. regio cisiordanica, fossa iordanica et regio transiordanica. Hisce, ad imaginis complementum, duae zonae limitrophae, vdl. Arabia Petraea (a meridie) et Syria (a septentrione), addi debent.

Nostra ergo descriptio commode fiet per illas 3 partes, quarum prima erit: Fossa iordanica i. e. Vallis Iordanis, el-'Araba, Mare Mortuum (§§. 18–20); altera: Regio cisiordanica (§§. 21–25); tertia: Regio transiordanica (§§. 26–28). Addentur in fine (cap. IV.) regiones limitrophae (§§. 29–32).

A) — *Fossa iordanica.*

Bibliographia : De Saulcy, *Voyage autour de la mer Morte*, Paris 1853, 2 vol. et atl.; — Tuch, *Ueber den Ursprung des Toten Meeres nach dem A. Test.*, 1863 ; — Stoppani, *Il Mare Morto*, 1875 ; — O. Fraas, *Das Tote Meer*, Stuttgart 1867 ; — Duc de Luynes, *Voyage d'exploration à la mer Morte*, 3 vol. et atlas Paris 1869 (vol. III *Géologie* par L. Lartet); — E. Falcucci, *Il Mar Morto e la Pentapoli del Giordano*, 1881 ; — Diener, *Die Katastrophe von Sodom und Gomorrha im Lichte geologischer Forschung* (Mitteilungen der KK. Geogr. Ges. in) Wien 1897 (p. 1-22) ; — F. M. Abel, *Une croisière autour de la Mer Morte*, Paris 1911 ; — L. Gautier, *Autour de la Mer Morte*, Genève 1901 ; — M. Blanckenhorn, *Entstehung und Geschichte des Toten Meeres*, in ZDPV., 19 (1896) 1-64; 21 (1898) 65-83; idem, *Das Tote Meer und der Untergang von Sodom und Gomorrha*, Berlin 1892; — O. Ankel, *Grundzüge der Landesnatur des Westjordanlandes*, Frankfurt a. M. 1887 ; — Buhl F., *Studien zur Topographie des östlichen Jordanthales*, Leipzig 1906 ; — Z. Biever, *Au bord du lac de Tibériade*, in : " Conférences de St. Etienne „, Paris I (1910) 107-142; 2 (1912) 260-397 ; — K. Meusburger, *Das Tote Meer*, Brixen 1907-1909 ; — Schwöbel V., *Der Jordangraben* (in " Zwölfländerkundige Studien „) Breslau 1921 (pp. 117-188). — Confer praeterea dissertationes: Legendre, " *Arabah* „ et " *Morte* (mer) „ in Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible*, insuper dissertationem ipsius Vigouroux, *Jourdain* ib. ; — King, *Cambrian Fossils from the Dead Sea*, in " Geological Magazin „ t. 40 Nr. 713 (1923) p. 507-514 ; — Schroetter H., *Das Tote Meer*, Wien 1924.

Generalia. — Situ, proprietatibus geologicis, suaque demum historia, fossa iordanica maxime characteristicis terrae regionibus iure merito adnumeratur ; immo quoad profunditatem depressionis terrestris in terrarum orbe aequalem sui non habet. Sistamus ante oculos nostros ingentem fossam, usque ad 20 km. latam, circa 440 km. longam, ex utroque latere montibus altis praeruptisque circumdatam, cuius alveus undulatis insinuatisque tumulis est coopertus. En fossa iordanica ! — In maxima huius

fossae depressione, plantis virgultisque dense consita (hinc ez-Zôr dicta), fluit ipse Iordanes amnis.

Fossa iordanica iisdem debetur causis ac fossa syriaca (de qua supra § 13), cuius partem solummodo constituit profundissimam et maxime miram. Orta est in periodo diluviali (pleistocaena), in qua etiam ob terrae motus profundior est facta. In eadem periodo nives de Libano et Ḥermône solutae atque insuper pluviae totam vallem aqua implebant, efficiendo lacum unum c. 320 km. longum, ad 50 km. latum, eius aequor erat + 30 m. supra Mediterraneum. Sub finem huius periodi pluvialis, disparentibus Libani glaciebus ac nivibus et imminutis pluviis, paulatim etiam aquae disparebant ; tandem manserunt solum tres lacus et Iordanis fluenta, eos inter se unientia, ac praeterea consederunt mira illa sedimenta, quae Iordanis vallem circumdant et ex parte componunt. — Videamus nunc singulas fossae iordanicae partes in specie.

§ 18. ***Ipsa vallis*** ad Ḥermônis radices incipit et in sinu aelanitico terminatur ; longa est plus quam 440 km. ; directio N–S. Continenter fit largior et profundior : ad fontem Nahr el-Ḥâṣbânî alta est + 563 m. supra Mediterraneum ; ad lacum el-Ḥûle + 2 m. supra Mediter. ; ad lacum Genesaret — 208 m. infra Mediter. ; ad ostium Iordanis in mari Mortuo c. — 394 m. infra Mediter. ; in mari Mortuo c. — 789 m. Inde paulatim vallis ascendit : ad Rîšet el-Ḥauwar habet + 250 m. supra Mediter. ; ad el-'Aḳaba + 3 m. supra Mediterraneum.

Vallis, a lacu Genesaret usque ad Aelaniticum sinum, antiquitus vocabatur הָעֲרָבָה (LXX : Ἀραβα) i. e. regio deserta (cf. Ios. 12, 1 ; 2 Sam. 2, 29 ; 4, 7 ; 4 Reg. 25, 4).

Hodie vero: α) vallis, inter mare Tiberiadis et Mortuum, vocatur *el-Ġôr* i. e. cavitas, depressio (antiquitus inferior eius pars nominabatur הַכִּכָּר vel כִּכַּר הַיַּרְדֵּן; cf. Gen. 13, 10. 12; 19, 17; 2 Sam. 18, 23; — in N. T.: ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου, Mt. 3, 5; Lc. 3, 3, i. e. regio [circa] Iordanem); — β) vallis vero inter mare Mortuum et el-'Aḳaba vocatur *el-'Araba.*

El-Ġôr circumdatur montibus, qui in occidente ascendunt ad 600 m. supra Mediter. (900 m. supra vallem); in oriente ad 1100 m. supra Mediter. (1350 m. supra vallem). Longitudo, lineâ rectâ, est c. 105 km.; — latitudo variat: prope mare Tiberiadis est circa 6 km., ad Ǧisr el-Muǧâmi' 2 km., ad Beisân 13 km., paulo inferius 2 km.; a Ḳarn Ṣarṭabe latitudo el-Ġôr paulatim largior fit, ita ut prope mare Mortuum 19–23 km. habeat. —

Sedimenta aquarum antiqui lacus impleverunt vallem collibus et tumulis (arab. ṭabakât)(1), gradatim in modum amphitheatri descendentibus. Tres sunt aggeres, quos lingua gallica *terrasses* appellares, vel quasi tres gradus seu solaria: supremum componunt tumuli nudi, deserti, sine vegetatione, torridi; ubi fontes, ibi adsunt oases (Beisân, Yeriḥô); — medius gradus parvis plantis hinc illinc est coopertus; — infimus tandem quotannis (mense aprili) ex parte inundatur (cf. Ios. 3, 15; 1 Par. 12, 15; Eccli. 22, 24), et consitus est virgultis omnis generis salicum, arundinibus, cannis, populis, platanis, et tamaricibus; abundat insuper animalibus (suibus, olim leonibus, cf. Ier. 49, 19; 50, 44; Zach. 11, 3). Hic infimus gradus haberi potest

(1) Sec. Dalman, *Orte und Wege Jesu*[3] (1924) p. 90, tumuli hi appellantur ab Arabibus " el-ketâr „ [i. e. gibbi].

pro alveo Iordanis; — vocatur nunc a pluribus *ez-Zôr* (1), in Scriptura (Ier. 12, 5; 49, 19; 50, 44; Zach. 11, 3) גְּאוֹן הַיַּרְדֵּן (superbia, maiestas Iordanis). Latitudo ez-Zôr variat inter 1/2 et 3 km.; profunditas descendit ad 17 m. — Intra et infra tertium gradum ez-Zôri fluit Iordanes, cuius latitudo in septentrione variat inter 6 ad 30 m., circa vero mare Mortuum ad 60 m. extenditur. Profunditas media amnis est c. 3 m.

El-'Araba similem speciem praebet ac el-Ġôr; — ex utraque enim parte circumdatur montibus; — orientales sunt superiores (ad 1600 m.); e lapide arenario, granite et porphyrite constant, multis vallibus scinduntur, atque vocantur eğ-Ğibâl et eš-Šerâ; — montes occidentales sunt planities alta (ad 500 m.). — Latitudo el-'Araba variat inter 9 et 20 km., longitudo c. 180 km. Altitudo summa (+ 250 m. supra Mediter. ad Rîšet el-Ḥauwar) dividit affluentes in septentrionales (qui versus mare Mortuum), et meridionales (qui versus sinum Aelaniticum currunt). Alveus vallis constat syrtibus, solo arenario ac sabuloso atque creta. — Nullus in el-'Araba adest perennis fluvius; hinc observatur defectus luxuriantis vegetationis, qua excellit ez-Zôr. Pauci tamen fontes et oases non multae etiam in el-'Araba inveniuntur.

§ 19. ***Iordanes*** ipse. Unicus verus Palaestinae fluvius, curiositati potius erat hominibus, quam regioni utilitati; nam profunde in suo alveo absconditus irrigationi regionis adiacentis nonnisi artificialiter inservire posset. Debetur Iordanes nivibus montis Ḥermôn (G. eš-Šeiḫ),

(1) Sec. Dalman (l. c. p. 90) nomine ez-Zôr (arab. densitas) designatur non tam ipse Iordanis alveus, quam densitas spissitasque plantarum, quae ripas amnis ex utraque parte circumdant.

ad cuius radices habet tres praecipuas series fontium: *a*) fons *'Ain Ḥâṣbeyyâ* (+ 563 m.), ex occidentali Ḥermônis radice, dat originem fluvio Nahr el-Ḥâṣbânî; — *b*) fons *Tell el-Ḳâḍî* (+ 154 m., [antiq. Dan, Laiš]), abundantissimus, cuius duae scaturigines dant initium fluvio Nahr el-Leddân. Tell el-Ḳâḍî, unus ex abundantissimis totius orbis fontibus, statim magnum fluvium efficit, in cuius aquis boves buffali per plurimas diei horas degunt. — *c*) *Bâniyâs* (+ 329 m.), duo pulcherrimi fontes infra specum, olim deo Pan consecratam, dant initium Nahr Bâniyâs. — Nahr Bâniyâs et Nahr Leddân fluunt separatim per decem circiter km., quibus percursis simul uniuntur, brevique post (post 1160 m. distantiae, + 43 m. altit.) tertium recipiunt socium Nahr el-Ḥaṣbânî. Qui tres fluvii, in unum confluentes, efficiunt Iordanem. Nahr el-Ḥâṣbânî affert 1/8; Nahr Bâniyâs 2/8, Nahr el-Leddân 5/8 totius massae aquarum.

Iordanes — (arab. eš-Šerî'a, vel Šerî'at el-Kebîre, i. e. locus magnae adaquationis, rarius [apud classicos] al-Urdunnu הַיַּרְדֵּן, ὁ Ἰορδάνης), — in suo cursu (meridiem versus) tres bene distinctas partes habet:

α) **Iordanes superior,** per circa 10 km., secat planitiem Arḍ el-Ḥûle dictam et protenditur ad lacum *Baḥret el-Ḥûle* plerumque appellatum, (quem tamen Dalman [l. c. p. 218] *Baḥret el-Ḥêṭ* nominat), paludosum, avibus et virgultis, imprimis papyris aegyptiacis, abundantem. — *Baḥret el-Ḥûle* (" lacus Semachonitis „ Iosephi = " Simḥu „ apud Iudaeos) iacet + 2 m. supra Mediter., habetque formam piri 5, 8 km. longit., 5, 2 km. latit., 3–5 m. profunditatis. Ripae eius sunt quidem humiles, sed ob plantarum copiam inaccessibiles.

β) **Iordanes medius** (usque ad *Baḥr Ṭabariyya*) fluit (per 16 km.) inter montes, spumans et ferox; 3 km. ante lacum Ṭabariyya extenditur planities *el-Baṭîḥâ*, qua percursa Iordanes duobus brachiis influit in lacum Tiberiadis. — In hoc cursu medio commemorandus est pons Iacob (*Ğisr Benât Ya'ḳûb* i. e. pons filiarum Iacob), non multum infra lacum el-Ḥûle. Illâc enim ducebat "via maris„ a Ptolemaide versus Damascum, quae iam antiquo tempore Aegyptum et terras Mesopotamiae coniungebat.

§ 20. **Lacus Genesaret** varie antiquitus appellabatur. In Veteri Testamento mare Kineret (כִּנֶּרֶת, Χενερέθ, cf. Num. 34, 11; Dt. 3, 17; Ios. 11, 2; 12, 3; 13, 27), vel Kinroth (כִּנְרוֹת, Κενερώθ, Χενερώθ), vel aqua Genesar (Γεννησάρ, cf. 1 Mach. 11, 67), vel "mare„ sine addito (Dt. 33, 23; cf. Mt. 4, 15). — In Novo Testamento recurrunt nomina: stagnum Genesareth (ἡ λίμνη Γεννησαρέτ, Lc. 5, 1), vel mare Galilaeae (Mt. 4, 18; 15, 29; Mc. 1, 16; 7, 31; Ioh. 6, 1), vel mare Tiberiadis (Ioh. 6, 1; 21, 1), vel "mare„ sine addito (Mc. 2, 13 et saepius). — A Flavio Iosepho (*Bell.* III, 10, 7) appellatur lacus Gennesar (Γεννησάρ); nunc ab Arabibus *Baḥr Ṭabariyya*. — Longitudo lacus est 21 km.; latitudo 10 ½ km.; superficies 170 km²; profunditas 12–18 m.; depressio aequoris = — 208 m. infra mare Mediter.; forma ovalis. — Montes (c. 300 m. altit.) ab oriente et occidente lacum circumdant. In NW planities *el-Ġuwêr* (= terra Genesar) adest, circa 6 km. longa et 2–4 km. lata, bene irrigata, densis arboribus consita, fertilissima, olim paradisus (Ioseph *Bell.* III, 10, 8).

Ecce verba Iosephi: "Gennesar... regio natura simul et pulchritudine admirabilis. Nullam enim ipsa arborem pro ubertate sua recusat

atque omnigenas consevere agricultores, aërisque temperies etiam diversis est accommodata. Nam et nuces, quae arborum maxime frigoribus gaudent, magna istic crescunt copia; ibi etiam palmae, quae calore vigent, iuxtaque has ficus item et oleae, quibus aura mollior designata est. Naturae dixerit aliquis ambitionem esse, quae vim sibimet adhibuerit, ut in unum compingat pugnantia, annique tempestatum gratam quandam contentionem, unaquaque earum regionem illam veluti sibi propriam vindicante. Neque modo alit praeter opinionem poma varia, sed et diu conservat; nam et omnium praestantissima, uvas sane et ficus, per decem menses sine intermissione suppeditat, ceteros vero fructus per totum annum cum illis consenescentes. Ad aëris etiam temperiem accedit, quod et fonte irrigatur uberrimo, qui Capharnaum [hodie ʿAin eṭ-Ṭâbiġa = Ἑπταπήγον] ab indigenis appellatur „. — Hodie planities haec maxima ex parte desertum praesefert, carduis, vepribus, oleandris et alto gramine consitum; ubi tamen (vg. iuxta litus) manus et opera hominis iuverit, etiam hodie triticum, hordeum, oryza, citreum, melo, tabacum, arundo saccari, indigofera similiaque gignuntur.

Ad ripam lacus hodie unica est urbs *Ṭabariyya* (= Tiberias); — reliqui sunt vici ut: thermae el-Ḥammâm, (= Ḥammat), Samâḫ, es-Samra, el-Mesʿadiyye, el-Meğdel (= Magdala ?). — Olim in ipso littore vel circa lacum complura alia oppida fuerant, ut: Sennabris (= Ṣinnâbra), Tarichaea (= el-Kerak ? Magdala ?), Hippos (= Ḳalʿat el-Ḥoṣn ?, vel Sûsiye ?), Gergesa (= Ḳurn Gerâdî ?, Kursi ?), Bêt Ṣaida (I. ? = el-ʿAraǧ), Iulias (= et-Tell), Capharnaum (= Tell Ḥûm), Bêt Ṣaida (II ? = Ḫân Minye ?).

Lacus ipse Genesaret pulcherrimus est et piscibus plenus; aqua lacus ad bibendum salubris. Aequor est placidum; — tempestates tamen post meridiem, si ventus ex NW flat, non semel accidunt, quas commemorant Evangelia (Mt. 8, 24; 14, 24; Mc. 4, 37; 6, 48; Lc. 8, 23; Ioh. 6, 18). Navigatio olim frequens erat, nunc rarior cernitur. — Lacus Tiberiadis eiusque viciniae scena

activitatis Christi erant frequentissima, ut non semel Evangelistae narrant.

γ) **Iordanes inferior** a lacu Tiberiadis usque ad mare Mortuum porrigitur; longus est, linea recta, c. 105 km., revera saltem 300 km. propter innumeros sinus fluminis voraginosos, cannis, virgultis salicum et platanorum consitos, qui saepe omnem impediunt navigationem. Ipsum flumen, profundo alveo labens, saepe inaccessibile est.

Affluentes maiores sunt ab oriente: *Šerî'at el-Menâḍire* (= Yarmuk, Hieromices veterum), sic hodie appellatus a tribu arabica, in eius ripa nomadum vitam gerente; (hic primam victoriam reportarunt de Graecis saec. VII Arabes, islamo dediti). Yarmuk in eo loco, quo confluit, abundantia aquarum par est Iordani, quia magnam aquarum copiam recipit in se e Ǧôlân (ut vdl. *Nahr er-Raḳḳâd*, *Nahr el-'Allân*) et ex en-Nuḳra (*W. el-Eḥrêr*), partim vero e terra Gala'ad (vg. *W. eš-Šellâle*). — Alii affluentes Iordanis ex oriente sunt: *W. el-Yâbis;* — *W. 'Aǧlûn* (Kefringî); — *Nahr ez-Zerḳâ* (= Yabbôḳ), qui intersecat et dividit provincias 'Aǧlûn (septentrionalem) ab el-Belḳâ (meridionali), atque saepius nominatur in Scriptura (Num. 21, 24; Dt. 2, 37; 3, 16; Ios. 12, 2; Iud. 11, 13). Iuxta eius ripam Iacob patriarcha, cum angelo luctans, benedictionem nomenque mutatum accepit (Gen. 32, 22). — Denique veniunt *W. Nimrîn; W. Ḥesbân.*

Affluentes maiores ab occidente sunt: *Nahr Gâlûd* e planitie Esdrelon; *W. el-Fâr'a* (inferius, a monte Ḳarn Ṣarṭabe *W. el-Ǧôzele* dictus); *W. el-Ḳelt* (= vallis 'Akor, sec. alios Kerît ?) prope Yerîḥô, quae 3 fontibus irrigatur. — Circa sex km. ante ostium, in regione ez-Zôr,

Iordanes habet aquam aliquantum salsam (1), fit minus profundus, sed largus usque ad 75 m.; vegetatio in ripis evanescit.

Iordanes affert mari Mortuo cottidie 6.500.000 m^3 aquae; — possidet multos vortices, syrtes, scopulos, grandem aquarum impetum, quae omnia navigationi non sunt propitia; ideo Iordanes non tam hominum unioni et commercio, quam potius divisioni inservit (Confer Gen. 32, 10; Num. 34, 12; Ios. 1, 2; Ez. 47, 18). Circa 60 vada permittunt quidem meatum, difficilem alioquin ob raros (c. 4) pontes (in decursu 200 km.), vdl.: Ǧisr Benât Ya'ḳûb, el-Mugâmi', eš-Šerï'a, denique pons (ferreus) Allenby, recenter ab Anglis prope Ierichuntem constructus.

Praeter pontes, praecipue traiectus quidam, in Scriptura S. commemorati, memoria digni sunt. Sic vg. prope Bethsan (paulo supra ostium Nahr Ǧâlûd) invenitur vadum *Maḫâḍet 'Abâra*, quo Syri, e Samaria fugientes, Iordanem traiecisse censentur (cf. 4 Reg. 7, 15); hic quoque Iudas Machabaeus cum fratre Ionatha, e Gala'ad Hierosolymam redituri, e contra Bethsan traiecerunt (cf. 1 Mach. 5, 52; 2 Mach. 12, 29). Alter traiectus, *ed-Dâmiye* dictus, paulo infra ostium fluvii Yabbôḳ, a Ramoth Gala'ad in Sichem ducebat; eum Gala'aditae occuparunt, ut fugientes Ephraimitas caperent (Iud. 12, 5 ss.). Vada duo denique e regione Ierichuntis (superius el-Ġôrâniyye, inferius el-Ḥenu) in terram Gala'ad ducebant; hoc loco Israel Iordanem traiecit (cf. Ios. 3, 1 ss.).

In historia biblica Iordanes iungitur stricte cum personis, omni exceptione maioribus, uti fuerunt vg. Iosue, prophetae Elias et Elisaeus (4 Reg. 2), Iohannes Baptista et tandem Iesus Christus; quae omnia dant huic flumini non parvum valorem. — Locus baptismi Christi cum certitudine assignari nequit, cum textus Iohannis (1, 28) Bethaniam et Bethabaram exhibeat. Traditio christiana (e saec. IV post Chr.) hanc Bethaniam trans Iordanem e regione Yeriḥô collocavit (Tell Nimrîn?);

(1) Ratio quaerenda est in *W. el-Mellâḥa* et *W. el-Ḥumr* (distantibus a mari Mortuo plus quam 23 km.), ubi salis sedimenta inveniuntur.

alii regionem oppositam monasterio *Dêr Mâr Yuḥanna* (seu Ḳaṣr el-Yehûd) assignant; Bethabaram non fuisse vicum, sed vadum Iordanis alii autumant. Charta geographica Madabensis in regionem monasterii S. Iohannis nos conducit, quod probabile videtur. Probabilis quoque est sententia Féderlin (R. B. 1910 p. 542), qui baptismi locum prope vadum el-Ġôrâniyye, in colle *Tell el-Medeššˇ* videt.

Clima regionis iordanicae differt a palaestinensi; aestate 40°–50° C., noctibus + 35° C.; ideoque sata et arbusta atque animalia sunt zonae torridae. — In ipsa ripa Iordanis nulla unquam urbs sita erat; in el-Ġôr aderant (et adsunt) urbes ut: Beisân, Yerîḥô; minores erant Phasaël, Bêt Nimra, Bêt Hârâm-Livias et aliae.

§ 21. ***Mare Mortuum.*** — *Nomina*: יָם הַמֶּלַח, LXX: ἡ θάλασσα ἡ ἁλυκή = mare salis (Num. 34, 3. 12; Ios. 15, 25; 18, 19), vel יָם הָעֲרָבָה, ἡ θάλασσα ἡ Ἀραβα, i. e. mare solitudinis (cf. Dt. 3, 17; Ios. 3, 16; 12, 3; 4 Reg. 14, 25). In libris posterioribus occurrit nomen הַיָּם הַקַּדְמוֹנִי, ἡ θάλασσα ἡ πρὸς ἀνατολάς, ἡ θάλασσα ἡ πρώτη = mare orientale (Ez. 47, 18; Ioel 2, 20; Zach, 14, 8) in oppositione ad mare Mediterraneum, seu occidentale. Apud Iosephum: ἡ Ἀσφαλτῖτις λίμνη (*Bell.* VI, 8, 4); in Talmud: mare salis, mare Sodomae. Nomen „mare Mortuum„ occurrit iam apud Iustinum (36, 3), Pausaniam (V, 7, 5), Hieronymum (Ios. 3, 16); ab Arabibus: *Baḥr Lûṭ* (mare Loti) appellatur.

Descriptio: Longitudo est 76 km.; latitudo 15, 7 km.; superficies 926 km²; aequor medium = c. — 394 m.; profunditas partis septentr. est c. 395 m. (= circa — 789 m.), partis meridionalis 1–6 m. — Sedimenta circa lacum (scl. lapides arenacei, calcarii, pyritae, dolomitae) indubie ostendunt, temporibus prioribus extensionem lacus multo maio-

rem fuisse. Temporibus Iosue ripa septentrionalis maris Mortui — sec. Clermont-Ganneau (*Recueil d'Archéologie orientale*, Paris 1902, t. V p. 267–280), — explebat totum ez-Zôr meridionale, i. e. a Ḳaṣr el-Yehûdî (7–8 km. ab ostio Iordanis) usque ad Râs el-Feṣḫa (in occidente) et W. el-Guwêr (in oriente). Haec vere probabilis hypothesis satis magni momenti est in topographia finium Beniamin et Iuda (cf. Ios. 15, 5+18, 19), ubi sermo est de "lingua„ maris salis a septentrione et de Beth Hogla.

Littora sunt diversimode formata: septentrionale (ez-Zôr) et meridionale (es-Sebḫa, etiam el-Ġôr vocatum) sunt planities; — ora occidentalis constat ex montibus Iudaeae (50–350 m. supra Mediter.), orientalis ex montibus Moab, praeruptis (qui prope oram meatum excludunt), et altis (800–1200 m.). — Campi plani minores dantur solum ad W. ed-Dereğe, 'Ain Ğidî, es-Sebbe (= Masada), Râs Hîš, el-Ġôr, et in peninsula el-Lisân (cf. Ios. 15, 2).

Aquarum $^2/_3$ partes debentur Iordani, $^1/_3$ aliis affluentibus, quorum maiores sunt: in occidente *'Ain Ğidî;* in oriente *W. Zerkâ Mâ'în, Seil el-Môğib* (= Arnon cum suis affluentibus), *W. el-Kerak* (in ostio: Seil ed-Drâ' appellatus), *Seil en-Numêra, Seil el-Kurâḥî* (W. el-Ḥesâ).

In toto terrarum orbe non datur lacus ita singularis, sicut mare Mortuum, cuius aequor tempore hiberno crescit, alias est plerumque eiusdem altitudinis; ultimis tamen annis crevit. Hinc c. 9.000.000 m^3 quotidie exhalantur ob immensum calorem aëris, in tanta depressione montibus circumdata, contentum. Inundatio verna, quae aestate perit, planitiem es-Sebḫa aquis opplet. — Exhalationi tantae adscribitur etiam ingens salis copia (c. 25 %), quae sexies tanta est, quanta in oceanis; inde densitas

aquae notabilis pondusque specificum grande (1,160–1,230), quae omnia efficiunt, ut leviora corpora vix submergantur. Insuper sales (chloricum natrium 7 %, chloricum magnesium 16 ½ %, chloricum calcium 1 %) inficiunt aquam colore viridanti e caeruleo, sed simul saporem dant palato abominabilem, nec ulla animantia (ne maritima quidem) in tali lixivia vivere patiuntur. Hinc non solum pisces, a Iordane in lacum delati, sed etiam piscium marinorum species in istis aquis brevi moriuntur. Solum in summa aqua, salibus minus satiata, vivit venenosus Bacillus tetani (ex pathogenis). Hinc etiam arbores a littoribus maxima ex parte absunt ; virgulta tamen, salem non respuentia, in littore conspiciuntur. Nihilominus nullum pestilentem vaporem mare Mortuum exhalat ; ideoque relatio, aves si supervolarent, cadere mortuas, inter fabulas est releganda. Conspiciuntur tamen in eius undis non raro trunci et ligna, ex parte salis alba veste cooperta, quae violentia rapiditasque Iordanis eradicavit et in mare Mortuum detulit. Hoc mare, praesertim in parte australi, suppeditat magnam asphalti et bituminis copiam, cuius origo satis est controversa. — In ripa digna est mentione oasis *'Ain Ǧidî* עין גדי = fons haedi, (+ 210 m. supra Mediter.), 599 m. mari Mortuo altior.

Haec oasis, Ḥaṣaṣôn Tamar antiquitus (2 Par. 20, 2) appellata, postea nomine *Engaddi* inter urbes deserti Iuda recensita (Ios. 15, 62), pulcherrimas olim palmas, vineas et opobalsamum ferebat ; nunc fonte aquae dulcis et calidae (27° C.) insignis est. Fons ille, per declivia montis descendens, antiquitus hortos, vineta et palmeta irrigabat ; nunc tantum arborum et arbustorum vitam sustentat, oasique toti – in limine deserti Iudaici (Yešimôn dicti) sitae — solitariam pulchritudinem confert. In deserto Engaddi, fonti attiguo, David fugitivus delitescebat (1 Sam. 24, 1–3) super petras, solis ibicibus pervias. Illuc convenerunt Minaei,

Môabitae et 'Ammônitae contra Iosaphat, regem Iuda (2 Par. 20, 2), ut inde per clivum Sis (2 Par. 20, 2) contra Ierusalem ascenderent.

Historia. — Origo mari Mortuo communis erat cum illa magna scissura syriaca (v. § 13), cuius constituit partem profundissimam. In formatione maris Mortui necessario duae eius partes sunt distinguendae, pars vdl. septentrionalis (profunda et primitiva), usque ad promuntorium Molineux peninsulae el-Lisân extensa, — et pars meridionalis (non profunda, origine iunior). Sec. Blanckenhorn (1) sex periodi in historia maris Mortui sunt distinguendae. Ut probant sedimenta, in secunda periodo diluviali superficies maris Mortui fuit maior (ab el-Ḥûle usque ad 'Ain Abû Werîde); profunditas grandior (+ 426 m. superior hodierno aequore = + 32 m. supra Mediter.). Aqua erat salibus omni ex parte satiata; hinc subsequentibus periodis sedimenta salis in parte merid. (de *Ğ. Usdum* ad *el-Lisân*) deposita sunt. Sequentes periodi inundationum et exhalationum, se invicem excipientium, in eandem regionem meridionalem supra sedimenta salis attulerunt alia strata, quae tandem terra fertilis — (iam eo tempore, quo genus humanum erat) — contexit et hominibus ad habitandum apta reddidit. — Aevo igitur exsistentiae humanae extensio maris Mortui erat fere ab antiquo ostio Iordanis (prope Ḳaṣr el-Yehûdî) usque ad lineam obliquam el-Lisân, prolongatam ad W. el-Ğâmûs. Quae ab hoc limite, meridiem versus, se extendunt (etiam hodiernum es-Sebḫa), erant planities, habitationi aptae, optime irrigatae. — Hîc erat probabiliter vallis Siddîm (Gen. 14 3. 10) cum puteis bituminis (Gen. 14, 10), quae (ante ever-

(1) In opusculo *Entstehung und Geschichte des Toten Meeres* (1896) p. 51-59.

sionem Sodomae) fuit " sicut paradisus Iahwe, " sicut regio Aegypti circa Ṣoân „ (= Tanis; cf. Gen. 13. 10). In eadem regione versus meridiem erat Pentapolis illa (Sodoma, Ġomorrha, Ṣeboîm, Adma et Ṣegor [= Ṣo'ar], Gen. 14, 2. 3. 8). Temporibus iam historicis, ultimo stadio historiae maris Mortui, pars illa meridionalis, lacui pristino adiacens (vallis Siddîm), terrae motu tectonico in profundum desedit et mare Mortuum in hanc quoque partem depressam suas undas de novo immisit easque submersit (1–6 m.) Documento est collis *Ǧ. Usdum* (180 m. supra aequor maris Mortui elevatus), 11 km. longitudinis, qui 30 usque ad 45 m. (supra aequor) sale constat, supra quem demum (per 120–140 m. altitudinis) stratum cretaceo-gipsium dispositum est.

Eversio Pentapoleos hoc terrae motu tectonico (seu dislocativo) et exorta inde incensione gasium sulphureorum, bituminis atque petrolei bene explicatur. Mirabile facti in circumstantiis temporis potissimum est quaerendum, nimirum in eo, quod Deus causis naturalibus eo praecise momento usus sit, quo poenam peccatoribus infligere voluit, quod non prius causas secundas agere permiserit, quam Lot cum familia se salvasset, et quod ad 4 solum civitates (non ad quintam Segor — precibus Loti permotus —) neque ad pauciores causarum secundarum effectum extendi permiserit. Reliqua particularia facti eiusque explicationes, ad exegesim Gen. 19 spectant.

B) — *Regio cisiordanica.*

Bibliographia : Mülinen E. von, *Beiträge zur Kenntnis des Karmels*, Leipzig 1908; — Klein S., *Beiträge zur Geographie und Geschichte Galiläas*, Leipzig 1910.

§ 22. **Forma generalis**. — Duae partes in hac regione sunt bene distinctae: *a*) ora maritima, cum planitie adiacente, quae ab Râs en-Nâḳûra continuo fit

largior, atque semel solum (monte Carmelo) interrumpitur; *b*) regio montana, continuatio quaedam Libani, de septentrione tendens versus meridiem, planitie Esdrelon in duas partes (septentrionalem et meridionalem) divisa, tecto domus inclinato (a W. versus E.) similis, cuius declivium occidentale (versus mare Mediter.) est lene, orientale versus Iordanem praeruptum ac praeceps. Apex huius tecti divortium aquarum simul constituit estque fere unica, naturalis, sat commoda commercii semita, quae incolis loci, a meridie vel septentrione, faciliorem aditum in montana, quam ab oriente aut ab occidente praebet. Iuga montium cisiordanica rectâ (i. e. lineâ parallelâ cum transiordanicis) procurrunt, sed sunt paulo inferiora. Sic ex. gr. in septentrione, in Galilaea et in Ğôlân, est maior utraque elevatio (cf. Ğ. Ğermak [1199 m.] cum Ğ. Tell eš-Šeiḫa [1300 m.]); Samaria et Gala'ad sunt inferiores (+ 500–900 m. ['Ebal 938 m.] et 500–1100 [G. Ḥakârt]); montes denique Iuda et Moab sunt iterum altiores: I[a] habet c. 800 [Ierusalem] usque ad 1027 m. [c. Halḥûd], et II[a] 806 [Nebo] usque ad 1240 m. [el-Mêse]).

Lingua hebraea regio montana Iudaeae dicebatur הָהָר (Ios. 10, 40; 11, 16 [ἡ ὀρεινή, Lc. 1, 39. 65] vel הַר יְהוּדָה (Ios. 21; 11); — montes Samariae הַר אֶפְרַיִם (Ios. 17, 15. 16. 18); — tumuli inter montes Iudaeae et planitiem Philisthaeae vocabantur הַשְּׁפֵלָה; (1) ora maritima appellabatur חוֹף הַיָּם; scissura iordanica הָעֲרָבָה; regio denique meridionalis Iudaeae הַנֶּגֶב.

(1) Ita sec. Smith, *Histor. Geogr.* 201 ss.; sec. alios etiam planities, ex occidente tumulis adiacens, Sefelae adnumeranda est.

§ 23. ***Ora maritima*** Palaestinae geographicae incipit a Nahr el-Ḳâsimiyye, [Palaestinae politicae initium est hodie Râs en-Nâḳûra]; — haec ora maritima, planitie constans, montibus Carmeli in duas partes distinctas dividitur:

a) Pars septentrionalis littoris maritimi, Galilaeae attigua, in universum satis est angusta (2 ad 6 km.), interrumpitur insuper promuntoriis Râs el-Abyaḍ et Râs en-Nâḳûra, quae viam commodi commercii praecludunt; est satis fertilis, praesertim ubi fontes aquam suppeditant (vg. Râs el-'Ain). — Ipsum littus vero est sabulosum et sterile; extenditur linea recta nec portus habet, excepta Tyro (quae antiquitus erat insula) et sinu Ptolemaico, qui Carmelo a meridie protectus est et ubi duo inveniuntur portus: commodior meridionalis (Ḥaifâ) et minus profundus in septentrione ('Akkâ).

b) Pars meridionalis littoris est adhuc magis aequabilis ac tristis; recta protenditur versus meridiem, nullos nunc habens naturales portus (Yâfâ — Ioppe facit ex parte exceptionem); ipsa ora maritima sabulis Nili, mari et vento allatis, continenter impletur, quae in littore longissimum satisque altum aggerem arenosum effecerunt, qui adiacentem (ex oriente) planitiem ab arena se ferente protegit. Planities, aggeri adiacens, plerumque fertilis, duobus in Scriptura nominibus appellatur:

α) A Carmelo usque Yâfâm nomen habebat *haš-Šārôn* (הַשָּׁרוֹן Σαρών); est celebris et pulchra, lata prope Carmelum 200 m., prope Caesaream 13 km., prope Yâfâm 20 km.

Yâfâ, saxoso colli insidens, sabulosum littus interrumpit, suisque hortis mirum quantum recreat oculos. Hebraice יָפוֹ (pulchra), graece Ἰόππη appellata, erat urbs perantiqua (Plin. V. 13, 69) et portus Palaestinae fere unicus. Ad portum Ioppensem ligna cedrina ratibus de Libano conducebantur, ad templum Salomonis exstruendum necessaria

(3 Reg. 5, 9; 2 Par. 2, 16). Ioppen descendit Ionas, mandatum Dei fugiens (Ion. 1, 3). — Urbs haec non erat in dominio Iudaeorum nisi a Ionathae Machabaei temporibus (ab a. 147; cf. 1 Mach. 10, 75 s.) usque ad Pompeii adventum et sub Herode M. — Ioppe commoratione S. Petri, resuscitatione Tabithae et visione de gentibus ad evangelium admittendis celebris facta est (Act. 9, 36–43; 10, 5. 8. 23. 32; 11, 5. 13).

β) A Vâfâ pars meridionalis planitiei vocabatur Philisthaea (פְּלֶשֶׁת, vel terra Philisthiim–[inorum] (Ex. 13, 17; 1 Sam. 27, 1; 29, 11; 30, 16; 31, 9; 3 Reg. 4, 21; 4 Reg. 8, 2. 3; 2 Par. 9, 26; Soph. 2, 5; 1 Mach. 3, 24), campestria Philisthiim (Abd. 19), regio Philisthinorum (1 Sam. 27, 7), cum urbibus munitis Pentapoleos philisthaicae: Accaron (*ʿEqrôn*), Ascalon (*ʿAsqalân*), Azotus (*Esdûd*), Gazza (*Ġazze*), et Geth (*Dikrîn?*, *Tell eṣ-Ṣâfiye? Beit Ǧibrîn??*). — Humiles colles, quibus planities in Iudaeam protenditur, nomine *Šefelâ* designabantur (Iud. 1, 9; Ier. 17, 26; 32, 44; 33, 13; Abd. 19; Zach. 7, 7; Ios. 15, 33), ita ut Philisthaea ab hoc nomine excluderetur (2 Par. 28, 18). Planities haec fere ubique fertilis et culta est verumque horreum Iudaeae constituit. Dein paulatim, sed continenter, versus orientem ascendit.

Torrentes orae maritimae aquas de montibus convehunt suntque praecipui: *a*) in parte septentrionali: W. el-Ḥubêšiyye, W. el-ʿEzziyye, W. el-Ḳarn, Nahr Naʿamên (= Belus), Nahr el-Muḳaṭṭaʿ (= Ḳîšôn); – *b*) in parte meridionali: Nahr ed-Difle, Nahr ez-Zerḳâ (= fl. Crocodilon), Nahr el-Mefǧîr, Nahr Iskanderûne, Nahr el-Fâlik, Nahr el-ʿAuǧâ, Nahr Rûbîn, Nahr Sukrêr, W. el-Ḥasî, W. Ġazze. — Fluvius maior deest.

Ob defectum portuum sufficientium littus maritimum ad commercium transmarinum parum conducit.

§ 24. ***Galilaea.*** — FINES GEOGRAPHICI: in septentrione terminus Galilaeae est Nahr el-Ḳâsimiyye cum Merǧ-'Ayûn [ant. 'Ijyôn] et radice Ḥermônis; in meridie planities Esdrelon (hodie Merǧ Ibn 'Âmir); in oriente Iordanes; in occidente mare Mediterraneum. — (Notitias historicas de Galilaea vide in cap. XIII).

DIVISIO: *a*) Galilaea superior (septentrionalis), vere excelsa, et *b*) inferior (meridionalis), minus alta. *Limes utriusque* linea: 'Akkâ, Ša'ib, er-Râme, W. el-'Amûd.

a) **Galilaea superior** est fere tota montuosa, (hinc in VT appellabatur simpliciter: montes (Ios. 11, 2), vel montes Nephthali (Ios. 20, 7). Minores *planities* sunt: in ora maritima (circa Tyrum et 'Akkâm); — in oriente: Arḍ el-Ḥûle, Arḍ el-Ḥêt (circa lacum el-Ḥûle); — in montanis: W. Selûḳiye, Merǧ Ḳades, Merǧ el-Ǧîš, Merǧ Ḥaḍîre, el-Buḳe'ia, et prope er-Râme. Hisce exceptis, Galilaea superior est tota quanta *iugum montium* altum, cum cacuminibus: Ǧ. Germaḳ (1199 m.), Ǧ. el-'Arûs (1073 m.), Ǧ. (Nebi) Haider (1049 m.), Ǧ. 'Adâtîr (1006 m.). — Prope Râs el-Abyaḍ (in N) et Râs en-Nâḳûra (in S) montes ad mare ita appropinquant, ut iam in antiquitate iter secari debuerit in promuntoriis sic dictae " scalae Tyriorum „ (κλῖμαξ Τυρίων, in Talmud *sullemā šel-Ṣôr*). — Montes galilaei sunt pulchri, silvis consiti; valles et plana, quia vulcaniae quandoque originis, fertilia sunt, bene irrigata ac optime culta.

Torrentes (valles): *a*) *in Mediterraneum* devolvuntur: W. Selûḳiye cum W. el-Ḥaǧêr (mediante Nahr el-Ḳâsimiyye); W. el-Mâ (inferius W. el-Ḥubêšiyye dictus); W. Ḥâmûl; W. el-Ḳarn; W. Ša'ib (dein W. el-Ḥašab et W. el-Ḥalzûn dictus); — *b*) *in Baḥret el-Ḥûle* in-

fertur: W. ʿAubâ (inferius W. Hindâǧ vocatus); — *c*) ***in mare Tiberiadis:*** W. eṭ-Ṭawâḥîn, qui aquas de G. Ǧermaḳ colligit et inferius W. el-ʿAmûd nominatur. — Fontes habentur plurimi; abundantissimus est in meridie Tyri Râs el-ʿAin, ex quo antiquitus aquae exstructo aquaeductu Tyrum ducebantur. Aquae huius fontis cum tanta vi effluunt, ut statim magnas piscinas (5–7 m. profundas) efficiant. Huius fontis meminit Ios. 19, 29 (LXX) tamquam " fontis Tyri „.

b) **Galilaea inferior** habet multo inferiores montes: Ǧ. ed-Daḥî (515 m.), a nonnullis Ḥermôn minor dictus, est vulcaniae originis et basalte componitur. Ad eius septentrionem (NW) protenduntur montes circa Nazareth (Nebi Saʿîn, 488 m.), qui in planitiem praerupte descendunt; ad NE de Nazareth attentionem merentur montes: Ǧ. Ṭûrʿân (541 m.) et Râs Krûmân (554 m.). A monte Daḥî (in linea NNE), planitie divisus, surgit mons *Ǧ. eṭ-Ṭôr* (562 m.), solitarius, perpulcher, cretaceae originis conus, cuius latera sunt arbustis tecta. Scriptura saepius montis huius meminit (vg. Iud. 4, 6. 12. 14; Ier. 46, 18; Os. 5, 1; Ps. 89, 13), eumque Thabor (תָּבוֹר, Θαβώρ, τὸ Ἰταβύριον) appellat. Prospectus ex eo latissime patet.

Planities habentur: Sahl el-Baṭṭôf (c. 150 m.) = *Asochis*, fertilis, irrigata, in orientali sua parte palustris; — in occidente, circa ʿAkkâm; — in oriente demum (circa lacum Tiberiadis): eš-Šaǧûr, el-Ǧuwêr, Sahl el-Aḥmâ.

Torrentes labuntur: *in mare Mediter.:* W. el-Melek (affluens fluvii Nahr el-Muḳaṭṭaʿ) et Nahr Naʿamên (Belus, vitri phoenicii fabricatione clarus); — *in lacum Tiberiadis:* W. er-Rabaḍiyye, W. el-Ḥamâm; — *in Iordanem:* W. Faǧǧâs, W. el-Bîre, W. el-ʿAšše.

Galilaeae inferiori a multis adnumeratur:

c) **Esdrelon** planities (Iudith 1, 8; 4, 5; 7, 3), hodie Merǧ Ibn ʿĀmir dicta. — *Fines* eius: in septentrione montes Galilaeae (Thabor, declivia Nazarethi); ab oriente montes Ǧ. ed-Daḥî et Ǧ. Fuḳû'a (Gilboʿa); a meridie iugum montium de Ǧenîn usque Carmelum; ab occidente Carmelus et tumuli galilaei. — Esdrelon habet formam trianguli irregularis; est valde fertilis, bene irrigata, at febribus infesta; altitudo eius variat inter 25–120 m. — In VT vocabatur: 'Ereṣ ha-'Emeḳ vel ha-'Emeḳ, campus Mageddo (2 Par. 35, 22; Zach. 12, 11), τὸ πεδίον μέγα scl. Galilaeae (1 Mach. 12, 49); pars media (cum valle Nahr Ǧâlûd) vocabatur 'Emeḳ Yizre'el.

Planities Esdrelon multarum pugnarum locus fuit, ut vg.: Barac cum Sisara, duce Iabin regis Asor (Iud. 4–5); Gedeonis cum Madianitis (Iud. 7, 1 ss.); Saulis cum Philisthaeis, qui ibi (ad montem Gelboë) cecidit (1 Sam. 31, 1 ss.); Iosiae regis cum Pharaone Nechao (4 Reg. 23, 29; 2 Par. 35, 22); — socii Ionathae Machabaei contra Tryphonem hic quoque congregati erant (1 Mach. 12, 49). In hac demum planitie frequentes pugnae fuerunt, ut: Iudaeorum cum Romanis (Ioseph. *Bell.* IV. 1, 8), Saracenorum cum christianis (medio aevo), Napoleonis I cum Turcis (a. 1799).

Torrentes: *in mare Mediterraneum:* Nahr el-Muḳaṭṭaʿ, — antiquitus Naḥal Ḳîšôn (Iud. 4, 7. 13; 5, 21) vel aquae Megiddo (Iud. 5, 19) — viam aperit e planitie Esdrelon versus occidentem ad planitiem maritimam Ptolemaidis. Eius orae adhuc hodie sunt periculosae ob palustrem glebae characterem. — *In Iordanem:* Nahr Ǧâlûd (ex fonte ʿAin Ǧâlûd = ʿÊn Ḥarôd [Iud. 7, 1]), ad quem Gedeon castra metatus est.

§ 25. ***Samaria.*** — Ab Esdrelone usque Bîr es-Sebaʿ iugum montium perpetuum protenditur, quod in minores

unitates, politicis et historicis divisionibus satis respondentes, dividitur. Regio septentrionalis (Samaria) dividitur a meridionali (Iudaea) vallibus : Nahr el-'Auǧâ. W. Dêr Ballûṭ, W. en-Nimr, monte Tell 'Aṣûr, W. Sâmiye, W. el-'Auǧe.

Montes Samariae cedunt galilaeis altitudine, fertilitate et pulchritudine ; — hisce tamen omnibus praestant montanis Iudaeae. — Adest in Samaria maior formarum varietas, nam montes inter se efformant saepe maiores planities, quae non semel satis clausae sunt, tempore hiemali in paludes fere mutantur, sed tempore aestivo omni genere plantarum et tritici gravidae sunt, cum e contra valles vineis et arboribus olivarum, ficuum et malorum abundent. Montes Samariae — in Scriptura etiam *mons Ephraim* (Ios. 17, 15 ; 20, 7 ; 24, 30. 33 ; Iud. 2, 9 ; 3, 27 ; 4, 5 ; 7, 24), vel *mons Israël* (Ios. 11, 16. 21) appellati — dividi solent in septentrionales et meridionales. Limitem utrorumque constituunt valles : W. eš-Ša'îr, W. Beiḍân, W. el-Fâr'a.

α) Montes septentrionales furcae formam habent, cuius caput est mons G. Eslâmiyye (938 m.), olim 'Êbal (Γαιβάλ, Deut. 11, 29 ; 27, 4. 13 ; Ios. 8, 30) dictus, altissimum totius Samariae cacumen. — Brachium NE (huius furcae) incipit ab 'Êbal et diminuendo suam altitudinem exit in iugo Ǧ. Fuḳû'a, in quo Šeiḫ Barḳân est altissimus (518 m.). Hoc iugum, in antiquitate " *montes Gelboë* „ dictum, testis mortis Saulis (2 Sam. 1, 21), triste et nudum est. Huius brachii NE plures rami versus SE porriguntur et in el-Ġôr praerupte decidunt, ut : Râs Umm Zôḳa (256 m.) et Râs Umm el-Ḫarrûbe (210 m.). — Brachium NW furcae [cacuminibus : eš-Šeiḫ Bayâzîd (724 m.), Šeiḫ Iskandar (518 m.)] in Ǧ. Karmal (552 m.)

finitur. *Carmeli montes* pulchri, in Esdrelonem abrupti, bene irrigati, silvis vestiti, celebres in VT (Is. 35, 2; Am. 1, 2; Mich. 7, 14; Nah. 1, 4; Cant. 7, 5), scena fuerunt illius certaminis Eliam inter et sacerdotes Ba'ali (3 Reg. 18). Etiam brachium NW per plures tumulos in planitiem Šārôn se demittit. — Planities: altera est Sahl 'Arrâbe, altera Merǧ el-Ġaraḳ.

β) Montes meridionales non sunt ita regulares sicut montes Galilaeae. Iugum eorum occidentale explicatur regione NW. Pars eius (circa Far'atâ) in VT. " mons 'Amaleḳitarum „ dicebatur (Iud. 12,15). Cacumen summum est Ġ. eṭ-Ṭôr (868 m.), celebre *Garizim* (Gerizzîm VT: Deut. 11, 29; 27, 12; Ios. 8, 33; Iud. 9, 7), ubi Samaritani suum schismaticum templum habuerunt (cf. Ioh. 4, 20. 21) et ubi hodie adhuc pascha suum celebrare solent. — Iugum vero orientale patescit regione SE, cum cacumine summo Telfît (915 m.); in el-Ġôr descendit praerupte in monte Ḳarn Ṣarṭabe (379 m.). — Plana bene fertilia et irrigata sunt: prope Sâlim, el-Maḫna et el-Lubbân.

Aquae Samariae labuntur: *a*) *in mare Mediterraneum* ope: Nahr ez-Zerḳâ (= fl. Crocodilon), W. el-Ḥuḍêra (cum multis affluentibus), Nahr Iskanderûne (eius affluens est Wâdi eš-Ša'îr), Nahr el-'Auǧâ (cum affluentibus: W. Ṣîr, W. Ḳânâ, W. Dêr Ballût etc.). — *b*) *in Iordanem* vero ope: W. el-Mâliḥ, W. el-Buḳei'a (qui planitiem quoque huius nominis efformat), W. el-Fâr'a, W. el-Kerâd, W. Faṣâ'il, W. Sâmiye (inferius W. el-'Auǧe dictus).

§ 26. ***Iudaea*** comprehendit reliquum montuosae regionis, a finibus meridionalibus Samariae usque ad valles W. Gazze, W. eṣ-Ṣini, W. Marṭaba, W. Bîr es-Seba', W. el-Milḥ, W. el-Ḳênî et W. el-Ǧerâbi, quae efficiunt maximam soli depressionem (c. Bîr es-Seba' 240 m.), a qua tum versus septentrionem tum versus meridiem (usque ad 1370 m. in Naḳb el-Mirâḍ) soli elevatio paulatim ascendit.

Montes. — A W. Bîr es-Seba', qui multis puteis abundat, versus septentrionem incipit planities celsa, pluribus vallibus fertilibus (W. el-Ḫalîl, W. el-Buṭm, W. el-Milḥ) interrupta, quae deinde in iugum montium transit. Montes in cacumine Ṣîrat el-Bellâ' (inter Ḥebrônem et Ḫalhûl) attingunt summam altitudinem (1027 m.); versus Ierusalem dein descendunt (altitudo media 790 m.); a Ierusalem vero usque ad Tell 'Aṣûr (biblicum: Ba'alhaṣôr, 2 Sam. 13, 23; — 1011 m.) iterum ascendunt. In dorso huius longi iugi est divortium aquarum, a quo versus occidentem montes paulatim descendunt (per Šefelam in Philisthaeam); — versus orientem vero abrupte desinunt, efformando regionem feram, incultam, antiquitus *desertum Iuda* (Ps. 63, 1) appellatam, cuius partes varia habebant nomina. Sic novimus deserta: *Yešîmôn* (1 Sam. 23, 19; 24, 24), *Mâ'ôn* (1 Sam. 23, 24 ss.), *Zîf* (1 Sam. 23, 14; 26, 2), *Teḳôa'* (2 Par. 20, 20), *'Êngedî* (Engaddi [Vulg.] 1 Sam. 24, 2), — multis antris et specubus celebria (1 Sam. 23, 23; 1 Mach. 2, 31), ubi varii profugi, vg. David, latitabant, et ubi etiam latrunculi commodas sedes habebant. Tandem *desertum Bêth Awen* (Ios. 18, 12) est inter Dêr Dîwân et Tell-'Aṣûr. — Altitudo montium, quibus haec deserta constant, variat inter + 374 m. (Râs eš-Šaḳêf) et + 201 m. ('Ain Ǧidî). — Ad NW urbis Ierusalem eminet

mons en-Nebi Samwîl (895 m.), ex quo pulcherrimum panorama in magnum Iudaeae tractum patefit; ad E Ierusalem, Ǧ. eṭ-Ṭûr (818 m.) = „ mons Olivarum „ (Zach. 14, 11). Terra Iudaeae est calcaria, ut plurimum saxosa; cacumina quasi semper nuda; in declivitatibus montium passim arbores, virgulta, pomaria, vineta et oliveta (praesertim prope Ḫebrôn) inveniuntur; valles et planities agriculturae quoque aptae sunt bonasque segetes praebent.

Valles Iudaeae (generatim profundae et abruptae):

α) *Ex parte orientali* (incipiendo a septentr.): *W. el-Ḳelt* (= vallis 'Akor? Vulg. Achor), cuius septentrionalis affluens W. eṣ-Ṣuwênît celebres rupes Boṣeṣ et Sene continet (1 Sam. 14), ubi tantopere iuvenis Ionathan excelluit; — dein *W. en-Nâr*, qui prope Ierusalem Wâdi Sittî Maryam appellatur (= biblicus Ḳidrôn, Vulg. Cedron; 2 Sam. 15, 23; 3 Reg. 2, 37; 15, 13; Ioh. 18, 1: ὁ χειμαῤῥος τῶν Κέδρων); — ulterius: W. Ḥaṣâṣâ, W. el-'Arêğe, W. el-Ḫabra, W. es-Seyyâl, W. Umm Baǧǧek; — denique *W. el-Ǧerâbi*, qui omnes (W. el-Ḳelt excepto) in mare Mortuum decurrunt.

β) *Ex parte occidentali: W. - Malâḳe* cum W. en-Nâṭûf efformant vallem *Ša'b ed-Diyâb*, quae (recepto affluente W. Selmân) — tanquam W. eš-Šellâl, W. en-Naṣra, Nahr el-Bâride — in Nahr el-'Auǧâ influit; — *W. eṣ-Ṣarâr* ad W Ierusalem), qui olim Sôreḳ (Iud. 16, 4) appellabatur, quique in Nahr Rûbîn influit. — Dein veniunt valles: *W. es-Sanṭ* (= 'Emeḳ ha-'Elâ, vallis Terebinti, in qua Saul adversum Philisthiim pugnabat; 1 Sam. 17, 19), *W. eṣ-Ṣâfiye* et W. el-Meǧma', qui sunt affluentes Nahr Sukrêr; — *W. el-Ḥasî*; — denique *W. Ǧazze*, superius dictus Seil eš-Šellâle, W. eṣ-Ṣini (qui ex W. Marṭaba, W. Bîr

es-Seba' et W. el-Mu'allaḳa oritur). — Planities Iudaeae alicuius momenti est: el-Buḳei'a (vel etiam el-Baḳ'a), antiquitus *vallis Rephaim* dicta, in meridie a Ierusalem, fertilis (Is. 17, 5) et celebris propter pugnas Davidis cum Philisthaeis (2 Sam. 5, 18. 22; 1 Par. 15, 9).

Fontes in Iudaea sunt pauci; (ideo aqua necessaria in cisternas colligebatur). Prope Ierusalem sunt: *'Ain Sitti Maryam* = Gîḥôn (celebris unctione Salomonis in regem; 3 Reg. 1, 33. 38. 45; atque laboribus Ezechiae ac Manassis; 2 Par. 32, 30; 33, 14) et puteus Bîr Eyyûb (= 'Ên Rôgel); — dein 'Ain Kârim, et fons iuxta Liftâ. — Duo fontes 'Ain eḍ-Ḍirwe (inter Bêt Ṣûr et Ḥebrônem) sunt fortasse fontes Gullôt, (Ios. 15, 19; Iud. 1, 15). — Denique fontes ad meridiem Bêt Laḥm ('Ain el-Burak, 'Ain Ṣâliḥ, 'Ain Farûğe, 'Ain Arṭâs, 'Ain 'Aṭân) et inferius quinque in W. el-'Arrûb, implent piscinas dictas Salomonicas, quae Ierosolymae aquam suppeditant.

Species et forma Iudaeae sunt in universum satis tristes, id quod et in rigidam Iudaeorum indolem non parvam vim habuit.

C) — *Regio transiordanica.*

Fines et conformatio. *Fines* ab oriente: deserta syriaco-arabica (el-Ḥamâḍ) (1); — ab occidente: Iordanes cum 3 lacubus; — a septentrione: mons Ḥermôn (Ğ. eš-Šeiḫ) eiusque radices inferiores *Iḳlîm el-Bellân* dicti, qui usque Damascum in linea NE currunt et dein torrente *Nahr Yezîd* finiunt; tandem radices Antilibani; — a meridie: W. el-Ḥesâ.

(1) sec. Musil [BZ 10 (1912) 129] *eṣ-Ṣawwân.*

Tres partes, etiam historice sat differentes, olim in hac regione distinguebantur:

§ 27. ***Pars septentrionalis,*** quae est inter Ḥermônem et Yarmuk, est planities excelsa et vulcania, in qua diversi montes et colles, formam tumulorum conicorum habentes, sparsi sunt. Massae vulcaniae, in partes constituentes dissolutae, humum fertilem praebent. In tota hac ampla regione, quae communi nomine nunc caret, et quam, ob defectum alterius, forte *Basan* appellare licebit, tres turmae montium distingui possunt:

1) *Tulûl el-Ḥîš* explent regionem Ǧôlân (Gaulanitidem) a Nahr Bâniyâs ad Yarmuk, in oriente usque ad Nahr el-'Allân; sunt vero montes excelsi, conici, quercubus saepe consiti. Summum cacumen est in Tell eš-Šeiḫa (1294 m.). Agri habentur fertiles, bene irrigati. — Plures fontes ac torrentes huius regionis confluunt: partim in Iordanem, partim in lacum Tiberiadis (ut W. ed-Dâliyye, W. es-Samak, W. el-Fîḳ), partim in Yarmuk (ut Nahr er-Raḳḳâd, Nahr el-'Allân). — Lacus Birket er-Râm (= Phiala), in exstincti vulcani ore positus (1024 m.), subterraneis fontibus alitur; in antiquitate vero secundus Iordanis fons esse putabatur.

2) *Haurân* (Ǧ. ed-Drûz) — olim dictus Ṣelmôn (Ps. 68, 5) et Asalmanus (Ptolemaeus V, 15, 8 = V, 14, 6), — item vulcaniae originis, habet declivia arboribus obsita. Summum cacumen constituit *Tell el-Ǧênâ* (1839 m.). Ḥaurâni vulcanus el-Ġarâra el-Ḳibliyye (1211 m.), massâ torrentis vulcanii duratâ cooperuit planitiem grandem, olim *Trachon* (Trachonitis), hodie *el-Leǧâh* (i. e. "asylum„, scl. pro praedonibus) dictam, quae ob soli ariditatem pa-

rum frequens accolis est. E contra planities ad occidentem Ḥaurâni et el-Leǧâh sita fertilissima est; constat enim basalte, in partes constituentes dissoluto, et appellatur *en-Nuḳra*. Planities ad orientem el-Leǧâh sita, dicta *Arḍ el-Beṭeniyye*, etiam fertilitate excellit. — Aquae Ḥaurâni et en-Nuḳra colliguntur in W. el-Ehrêr eiusque affluentibus (W. el-Ḳanawât, W. el-Ġâr), dein in W. eḍ-Ḍeheb, W. ez-Zêdî, W. el-Buṭm, affluentibus Yarmuki (*Šerî'at el-Menâḍire*), qui in profunda valle, virgultis consita, fluit, et non longe a lacu Tiberiadis, in sua ripa fontes sulphureos calidos (49° C), *el-Ḥammi* dictos, habet.

3) *Dîret et-Tulûl* (sec. Musil [BZ. 10 (1912) 129] *Tulûl el-'Iyyâṭ*) regio ad orientem Damasci sita, est vulcaniae originis, fera, inaccessa (solum oasis er-Ruḥbe pulchra, fertilis). Meridiana regione incipiunt campi deserti *el-Ḥarra*, lapidibus vulcaniis obruti. — Inter Ḥermônis declivia et Dîret et-Tulûl est planities magna Damascena, *el-Ġûta* dicta, fertilis. Irrigant eam : *Nahr Baradâ* (= Abana [etiam Amana; cf. 4 Reg. 5, 12]), quae est antiqua Chrysorrhoas (Strabo XVI, 2, 16 et Plinius V, 18, 74), quaeque in lacubus Baḥrat el-'Aṭêbe finit; insuper: *Nahr el-A'waǧ* (= Pharphar? 4 Reg. 5, 12), qui in Baḥr el-Ḥiǧâne effunditur. — Montes Ǧ. el-Manî' (1110 m.) et Ǧ. el-'Abâye planitiem Damascenam ab el-Leǧâh dividunt.

§ 28. ***Gala'ad,*** הַגִּלְעָד, inter Yarmuk et W. Ḥesbân, fere unice lapide calcario constat. Torrens Yabbôḳ (Nahr ez-Zerḳâ) dividit eam in 2 partes (" dimidium Galaad „, Deut. 3, 12. 13; Ios. 12, 2). — Terra Gala'ad erat ad pastum gregum uberrima, atque hac ex causa inter Israëlitas, 'Ammônitas et Amorrhaeos saepe disputata.

1) *Gala'ad septentrionalis*, (saepe audit *'Aǧlûn*), est planities edita, irregularis, concisa vallibus praeruptis, vestita densis silvis (quercubus; cf. 2 Sam. 18, 6: "saltus Ephraim„ ubi Absalom regno et vita privatus est). Eius montes septentrionales attingunt cacumine *el-Mezâr* (SW de el-Ḥoṣn) 882 m.; — montes vero meridionales (Ǧ. 'Aǧlûn) habent in *Umm ed-Dereǧ* fere 1300 m. — Ad SE ab el-Ḥoṣn usque ad Ǧ. ez-Zumle (sec. Musil [BZ 10 (1912) 130]: Ziml el-Ma'ḳûf) est planities montuosa *eṣ-Ṣuwêt* dicta = Argôb? (Deut. 3, 4. 5) — Torrentes et multi fontes, qui terram Gala'ad irrigant, in Iordanem influunt, ut: W. el-'Arab, W. el-'Amûd, W. Yâbis, W. Kefringî [superius: W. 'Aǧlûn dictus], W. Râǧib. — Fluvii *Nahr ez-Zerḳa* [= Naḥal Yabbôḳ Scripturae) fontes sunt circa 'Ammân (Rabbat 'Ammôn = Philadelphia); Yabbôḳ ut plurimum in profunda et inaccessa valle, plantis abundante, decurrit; iuxta eius ripam Iacob patriarcha cum angelo luctatus est, ab eoque benedictionem et nomen mutatum accepit (Gen. 32, 22).

2) *Gala'ad meridionalis* (hodie *el-Belḳâ*), regio silvestris, montuosa, constat duplici iugo montium: septentrionali *Ǧ. Ǧil'âd* cum cacumine *Ǧ. Ôša'* (1096 m.), et orientali: *Ǧ. 'Ammân*, quod altitudinem 1086 m. apice *Ḫirbet Ḫalde* attingit. — Aquarum cursus versus Iordanem fit per valles: W. es-Sidr, W. er-Retem, W. Abu Târa, W. eś-Śa'ib (inferius W. Nimrîn dictum); dein per W. eṣ-Ṣîr (inferius W. el-Kefrên appellatum), qui est affluens vallis W. Ḥesbân, limitis meridionalis totius terrae Gala'ad.

§ 29. ***Moab*** inter W. Ḥesbân et W. el-Ḥesâ. — In Scriptura (Num. 22, 1; 26, 3. 63; 31, 12; 33, 48; 36, 13;

Deut. 34, 1; Ios. 13, 32) *campestria Moab*, vel simpliciter הַמִּישֹׁר appellatur. — Constat praecipue nudis sed fertilibus agris et campis planis, qui in oriente a desertis syriacis dividuntur serie collium (ut Ǧ. el-Breik, el-Ḳiyâl, Ǧ. Subeibân, Ǧ. ed-Dabba, Kuff ʿAdêse, ed-Dešîše). Campestria Moab carent silvis et fontibus, sed abundant cisternis, quarum nonnullae in antiquissima tempora relegantur. — Limitem occidentalem regionis Moab constituunt abrupti montes, in mare Mortuum desinentes, profundis vallibus scissi. Una ex his: *Seil el-Môǧib* (Arnôn) dividit totam terram Moab in:

1) Moab septentrionalem — hodie adhuc *el-Belḳâ* — cuius iugum montium occidentale, olim *ʿAbârîm* dictum, attingit plerumque 700 m. Praeter altissimum cacumen Kufêr Abû Sarbûṭ (896 m.), dignus est mentione: *en-Nebâ* (mons Nebô, 835 m.), ex quo Moyses, antequam moreretur, Terram Promissam contemplatus est (Num. 27, 12; Deut. 3, 27; 34, 1), cum pulcherrimo prospectu (de Beisân usque ad Engaddi se protendente). Hic mons Nebô partem iugi montuosi Phasga constituebat (Num. 21, 20; 23, 14; Deut. 3, 27). — Merentur insuper mentionem montes: *Siyâġâ* (698 m.), ʿAṭârûs (749 m.). Ḫ. el-Mukâwer (Machaerus, 739 m.).

2) Moab meridionalis — hodie regio *el-Kerak* — est planities multo altior priore (plerumque circa 1000 m.), interrupta montibus, quorum cacumina sunt: *el-Mêse* (1240 m.), *Ǧaʿfar* (1200), *Ḏât-Râs* (1150 m.), Ḳarʿat Šîḥân (1068 m.), el-Ḫanzîre (1037 m.) et el-Kerak (1026 m.). Inde in meridiem regio vehementer descendit usque ad W. el-Ḥesâ, quae vallis, (si mediam mensuram respicimus) c. 300 m. alta est.

Torrentes, qui aquas totius regionis Moabitidis colligunt, omnes in profundis et abruptis vallibus fluunt, atque in mare Mortuum se effundunt. Speciatim notandi sunt: W. ʿAyûn Mûsâ, W. Ǧudêd, W. el-Mešabbe, *W. Zerḳâ Mâʿîn* (prope sunt termae sulphureae, dictae Ḥammâm ez-Zâra = Callirrhoë, 58° C.). — *Seil el-Môǧib* (biblicus Arnôn: Deut. 2, 24. 36; 3, 8. 12. 16; 4, 48; Num. 21, 13 s.; Ios. 12, 1 s.; Iud. 11, 13. 18. 22 etc.), qui maxima et profundissima valle fluit, recipit affluentes: Seil Heidân (W. el-Wâle) et W. el-Muḫêreṣ (superius W. es-Sulṭânî dictum = fluvius Zared; cf. Deut. 2, 13. 14; Num. 21, 12). — Dein veniunt: W. el-Kerak (inferius Seil el-Ḳâḍî, ad ostium Seil eḍ-Ḍrâʿa appellatus); — Seil ʿEsâl; — Seil en-Numêra. — Tandem *W. el-Ḥesâ*, (prope ostium Seil el-Kurâḥî dictus), " torrens salicum „ (naḥal ha-ʿarâbîm; Is. 15, 7), limitem regionis transiordanicae a meridie constituebat.

CAPUT IV

Regiones adiacentes

A) — *Arabia Petraea.*

Bibliographia : Wilson et Palmer, *Ordnance Survey of the Peninsula of Sinai*, 5 vol. 1869–1872 ; — M. Jullien, *Sinaï et Syrie*, Lille 1893 ; — R. E. Brünnow & A. V. Domaszewski, *Die Provincia Arabia*, 3 vol., Strassburg 1904–1909 ; — W. H. Hume, *The Topography and Geology of the Peninsula of Sinai* (South-Eastern Portion), Cairo 1906 ; — T. Barron, *idem* (Western Portion), Cairo 1907 ; — W. M. Flinders Petrie, *Researches in Sinai*, London 1906 ; — A. Musil, *Arabia Petraea*, 3 vol., 1907–1908 ; — G. Dalman, *Petra und seine Felsheiligtümer*, 1908 ; *Neue Petraforschungen* 1912 ; — L. Szczepanski, *Nach Petra und zum Sinai*, 1908 ; — R. Weill, *La presqu'île du Sinaï*, Paris 1908 ; — Eckenstein Lina, *A History of Sinai*, London 1921 ; — Wiegand T., *Sinai*, Berlin 1921 ; — Savignac R., *La région de 'Ain Qedeis*, in RB. 31 (1922) 55–81 ; — Kaiser A., *Die Sinaiwüste*, 1922.

De itinere Israëlitarum per desertum cf. J. M. Lagrange, *Le Sinaï biblique* RB. 8 (1899) ; — idem, *Itinéraire des Israélites du Pays de Gessen aux bords du Jourdain* RB. 9 (1900) ; — Bönhoff, *Die Wanderung Israels in der Wüste*.... in Theologische Studien und Kritiken 1907, — K. Miketta, *Wo lag der Berg Sinai ?*, in Weidenauer Studien 3 (1909) 77–124 ; 4 (1910) 117–145. —

Tabulae : A. Musil, *Karte von Arabia Petraea*, Wien 1907 ; — [War Office], *New Map of the "Desert of the Wanderings"* (in 8 foliis) London PEF 1907–1910 ; — eandem fere regionem exhibet H. Fischer, *Das Syrisch-Aegyptische Grenzgebiet*, in ZDPV, 33 (1910) ; — Tabula militaris anglica : *Africa. Sinai Peninsula*, Sheet 17 D — 17 R, Southampton 1909. — Huc praeterea spectant 13 tabulae (6+7) contentae in supracitato opere : Hume — Barron.

Limites et divisio. — Ptolemaeus (V, 17. 18; VI, 7) terram arabicam in tres partes dividit. *Arabia Petraea* (sic appellata a 'Petra' urbe Nabaṭaeorum principe), a montibus Pharan in SW, usque ad Ailam et ad deserta in oriente protendebatur; *Arabia Deserta* usque ad sinum Persicum (in orientem) et (in meridiem) ad iugum montium, quod ab Arabia Petraea (versus sinum Persicum) porrigitur, sese extendebat; *Arabia Felix* reliquum peninsulae arabicae occupabat. — Hic (1) nomine Arabiae Petraeae, comprehenditur tota regio, quae est ad meridiem Palaestinae cis- et transiordanicae, usque ad canalem Suwêsium in occidente, sinum Suwêsium et Aelaniticum in meridie, et desertum Arabicum in oriente. Totum hoc spatium constat tribus partibus bene distinctis: Edom, Negeb, Sinai.

§ 30. ***Edom*** geographicum, ob defectum alterius nominis, appellatur hic plaga, ad orientem el-'Araba sita. — Edom historicum continebat etiam partem NE regionis Negeb.

a) Montes. — Tota haec regio constat iugo montium S-N, quod ad orientem versus deserta arabica et ad occidentem per multas valles in scissuram el-'Araba porrigitur. Constat granite, porphyrite, saepe lapide nubio (numidico) et arenario carbonifero, praeprimis rosacei coloris (hinc nomen *Edom*). Montes magna ex parte nudi et discooperti sunt; ubi adsunt fontes, ibi sata arbustaque sunt copiosiora (vg. Wâdi Mûsá). Iugum montium duplex nomen habet:

(1) i. e. in tractatu geographico; nam historice "provincia Arabia" imperii Romani (tempore Traiani usque ad Severum) comprehendebat praeterea totam regionem Moab, utramque Gala'ad cum Boṣrâ. (Vide ceteroquin, quae fusius dicuntur infra c. XVII).

1) *El-Ǧibâl* (Gebalene) a W. el-Ḥesâ usque ad Seil ed-Datne (prope Ḥirbet Fênân = Phûnôn; cf. Num. 33, 42 s.; Gen. 36, 41; 1 Par. 1, 52). Eius cacumen altissimum est Ḥalâ W. eẓ-Ẓalmâ (vel el-Ḳarân, 1640 m.), ad NE de Ḥ. Ḍâna.

2) *Eš-Šera* (Še'îr), — a Seil ed-Datne usque ad el-'Aḳaba — cuius apices superant ordinarie 1200 m. Summum cacumen est Meǧârîb el-Ḥôr (1650 m., ad NE de Petra); dein Râs Ail (1610 m.), ad meridiem vici Elǧi. — Ǧ. Hârûn (1396 m.) non recte reputabatur "*mons Hor*" (Num. 20, 22–30) seu tq. locus sepulturae Aaronis, qui quaerendus est potius in Negeb geographico (fortasse Ǧ. el-Maḍêra ?). — Diversae partes iugi montium eš-Šerâ varia habent nomina, vg. el-Hîše, el-Ḥesmâ, Baṭn el-Ġûl (ad NE de el-'Aḳaba) et similia.

b) Aquae orientalis declivitatis montium, per multas valles (diversissimi nominis), omnes versus infimum locum el-Ǧafar dictum (ENE de Ma'ân) pergunt; — aquae vero declivitatis occidentalis decurrunt: vel in *mare Mortuum* per valles W. eṭ-Ṭafîle, W. Ḥaneizîr, W. Fedân (Seil el-Daṭne), W. Abû Sakâkîn, W. er-Rumeid (qui in sua parte superiore portat nomen W. Mûsâ), Seil el-Ḥawwar; — vel in *sinum Aelaniticum* per valles W. Ġarandel, W. el-Muhtedi, W. el-Yitm (prope el-'Aḳaba).

§ 31. ***Negeb*** geographicum, ob defectum alterius nominis, appellatur hic non solum regio, ad meridiem Palaestinae cisiordanicae (cf. § 26) et ad occidentem el-'Araba sita, sed insuper tota regio, quae usque ad canalem Suwêsium in occidentem et usque ad iugum G. et-Tîh in

meridiem pertinet. Spatium est circa 35.000 km². Negeb historico-biblicum fuit multo minoris extensionis.

In V. Test. variae partes Negeb geographici diversa habebant nomina, ut :

Solitudo (*Desertum*) *Šûr* (Etham; Num. 33, 8; Ex. 15, 22), regio ad orientem canalis Suwêsii [?].

Solitudo (*Desertum*) *et montes Pha.rân* (Gen. 21, 27; Num. 10, 12; 13, 1. 4. 27; 14, 29. 32), probabiliter regio ad septentrionem procursus montium Ğ. et-Tîh et Ğ. el-'Eğme, hodie Bâdiet et-Tîh. — Sec. Musil (*Arab. Petr.* II, 1, 158) in el-'Araba quaeri debet.

Solitudo (*Desertum*) *Ṣin* צִן (Num. 13, 22; 34, 3; Ios. 15, 1); circa Ḳadeš Barnea' ; — prob. (sec. Musil) ad meridiem vallis eṣ-Ṣini, SES de W. Ġazze.

(Solitudo) *Negeb* (Ios. 15, 21–32, ubi urbes Negeb enumerantur) regio erat adiacens Palaestinae cisiordanicae a meridie.

Hodie pars occidentalis Negeb geographici politice spectat ad Aegyptum ; pars orientalis ad Palaestinam. Limes linea recta a Bîr Rufêḥ, per Ğ. Luṣṣân (1205 m.), usque ad W. Ṭâbâ (in occid. de el-'Aḳaba) porrigitur.

Geologice regio tota unum quid cum Palaestina constituit ; constat stratis cretaceis, e septentrione et occidente limosis (nummuliticis) et sabulosis. In nonnullis locis (ad W. el-'Arîš) reperiuntur strata e granite, porphyrite et lapide nubico composita. Incipiendo a maxima depressione (215 m. ad el-Ḥalaṣa, S de Bîr es-Seba'), regio Negeb ad meridiem paulatim elevatur usque ad 1370 m. (in Naḳb el-Mirâḍ), in procursu montium Ğ. et-Tîh.

a) In parte aegyptia : Montes. A canali Suwêsio surgit planities alta, deserta (baḥr balâmî), nulla varietate

distincta, *Bâdiet et-Tîh* dicta. Eam hac atque illac montes (infra 1000 m.) scindunt ut: Ǧ. Maǧâra, Ǧ. Ḥelâl, 'Ara'if en-Nâḳa, Ǧ. Eḥrim, Ǧ. Yeleḳ, Ǧ. el-Amâna, Ǧ. Abû Ṭâka (ad orientem es-Suwês). Ab hoc ultimo incipit iugum Ǧ. et-Tîh, quod limitem meridionalem Negebi constituit, cuiusque partes habent nomina: Ǧ. er-Râḥa, Ǧ. Biśr, Ǧ. Waṭâ, Ǧ. et-Tîh, Ǧ. el-'Eǧme, Ǧ. el-Ḳwêra.

Vallis praecipua est: *W. el-'Arîš;* a plurimis consideratur tq. "torrens Aegypti, naḥal Miṣraim„ (Num. 34, 5; Ios. 15, 4. 47); sua initia (per vallem W. el-Mrêḥî) habet ad radices catenae montuosae (Ǧ. el-'Eǧme). — Eius affluentes maiores ab occidente sunt: W. Ḥasana et W. el-Barûk (collector multarum vallium); ob oriente: W. el-'Azâreḳ (c. affl. W. el-Abyaḍ, W. el-Ḥafîr), W. el-Ǧâ'ife, W. el-Ǧarûr (= Gerara), W. Luṣṣân, W. Mešâm, W. el-'Aḳaba, W. er-Rawâḳ; tandem W. el-Mrêḥî, ad radices montis Ǧ. el-'Eǧme situs.

Ad littus Mediterranei extenditur longus *lacus Sirbonis* (hodie dictus Sabḥat Barḍawîl), prominente (82 m.) colle Ǧ. el-Ǧelse (antiqu.: *mons Casius*) divisus in duas partes. — *Fontes* celebriores sunt: 'Ain Ḳedeis = Ḳadeš, 'Ain el-Ḳuṣême etc.

b) In parte palaestinensi: Montes altiores (plus quam 1000 m.), feri sed pulchri, assurgunt in NE ut: *Ǧ. Luṣṣîn* (1205 m.), *Ǧ. el-Maḳrâ* (1055 m.), 'Arâ'if er-Retu, Ǧ. Fârân, Ǧ. el-Maḍêra, Ǧ. Ḥalâḳ, G. Ḥaḍrâ etc.

Valles profundae descendunt: aut 1) in *mare Mortuum*, coniungendo se in el-'Arabam ope *W. el-Ǧêb* [cuius affluentes maiores sunt: W. Leḥyâne, W. el-Ǧerâfi, W. Abû-Ṭâḳiyye, W. Merzabe], vel in *W. el-Fikre*, cuius pars superior W. el-Marra vocatur; — aut 2) in *mare*

Mediterraneum per affluentes in W. Ġazze, qui sunt vg. W. 'Asluǧ, W. eṣ-Ṣini et alii.

Fontes et putei non omnino desunt, ut: Bîr Bîrên, 'Ain el-Wêbe, 'Ain el-Yemen; insuper in valle el-'Araba: Biyâr el-Buḥêr, Mâ' Ġaḍyân, 'Ain Ṭâba, 'Ain el-Ġamr, 'Ain el-Ġuwêr, 'Ain el-'Arûs.

Excepta periodo pluviali, sata arbustaque regionis Negeb sunt vere exigua; vix camelis et ovibus Arabum pascendis sufficiunt.

§ 32. ***Sinai peninsula,*** quae in historia Israëlis tantum momentum sociale et religiosum exercuit, forma trianguli protendit se in mare Rubrum, atque illud in duo brachia: sinum es-Suwês (Heroopolitanum) et el-'Aḳaba (Aelaniticum) dividit. Angulos trianguli constituunt: es-Suwês, Râs Muḥammed, el-'Aḳaba. Totum trianguli spatium circa 25.000 km.² comprehendit.

A). — In CONFORMATIONE soli peninsulae Sinai distingue:

1) *Centrum granitae lapidis* — ṬÛR SÎNÂ Componitur maxima ex parte formationibus vulcaniis (granite, gneissite, porphyrite, diorite). — Habet tria brachia: α) septentr.-occidentale cum cacumine Ǧ. Serbâl (2052 m.); β) orientale, parallelum ad sinum Aelaniticum, quod constat duobus montium iugis: Ǧ. Sôra et Ǧ. Samḥi; γ) meridionale ac centrale cum cacuminibus: Ǧ. Kâterîne (2606 m.), Ǧ. Umm Šômar (2575 m.), Ǧ. Sabbaġ (2556 m.), Ǧ. eṭ-Ṭebt (2403 m.), Ǧ. Mûsâ (2244 m.) etc. — Regio est pulcherrima, sed trux et effera.

2) *Fascia arenaria* (inter centrum granitae lapidis et procursum montium Ǧ. et-Tîh, vel sinum maris) con-

stat locis planis, arenosis (Debbet er-Ramle, el-Marḥa, el-Ḳâ') ac collibus formationis cretaceae, in qua reperiuntur " marga „, lapides arenacei et carboniferi, cum molochitide (" malachit „), cupro et callaide. Haec regio vocabatur *Mafkat* ab antiquis Aegyptiis, qui hic fodinas: *el-Maġâra* et *Sarâbîṭ el-Ḫâdem* habebant.

B. — Aquae. — In Sinai nullus fluvius, nullus torrens datur. Valles, in *sinum Suwêsium* currentes, portant diversa nomina; maioris momenti sunt: W. Ri'êne (prope quem fontes Moysis: 'Ayûn Mûsâ), dein W. Sudûr, W. Werdân, W. Ġarandel, W. Marḥa, W. Ba'ba', W. Šelâl, W. Sidr, W. Fîrân (cuius origo est iam in ipso centro granitae lapidis Sinai). In *sinum Aelaniticum* currunt plurimae valles, inter quas nota dignae sunt: W. Naṣb et W. el-'Ain (etiam W. Wetîr dictus). — In vallibus centri granitae lapidis adsunt etiam pauci fontes, qui parvas oases (vg. Fîrân) efficiunt. — Celebriores *valles centri* granitici sunt: W. Fîrân (cum affluente W. Mukatteb), W. eš-Šeiḫ, W. Selâf, W. es-Slê, W. er-Râḥâ, W. ed-Dêr (= W. Šu'aib) etc.

In Sinai nulla adest urbs; solum pauci dantur vici, ut: eṭ-Ṭûr (Raitu), ed-Dêr, Fîrân. Arabes nomadice viventes sunt numero c. 10.000.

C). — In Scriptura nomine Sinai [סִינַי legendum Sînā cum Nestle, ZATW 25 (1905) 362 s.] designantur:

a) *Mons Sînā* (Ex. 19, 20. 23. saep.; Lev. 7, 38; Num. 3, 1; 28, 6; Neh. 9, 13); *b*) adiacens *Desertum Sînā* (Ex. 19, 1. 2; Lev. 7, 38; Num. 1, 1. 19 etc.), quod bene distinguendum est a deserto Ṣin (צִן Num. 13, 21; Deut. 32. 51; Ios. 15, 1) vel Ṣinā (Num. 34, 4; Ios. 15, 31). Desertum Ṣin (cum Musil) probabiliter in Arḍ eṣ-Ṣini (WSW de Bîr es-Seba') quaeri debet. — Identitas montis

Ḥoreb (Ex. et Deut.) cum monte Sînā est admittenda (cf. LAGRANGE, RB. 8 [1899] 378–389).

" *Mons legis* „ — a nonnullis (Winckler, Musil) in terra Madyan quaeritur (sec. MUSIL : Ḥala-l-Bedr (1), cf. " Im nördlichen Heǧaz „ 1911, p. 18) ; ab aliis in deserto et-Tîh (cf. contra hoc MIKETTA, *Weidenauer Studien* l. c.). Pro pluribus doctis (Burckhardt, Lepsius, Bartlett, Hogg, Ebers, Guthe) est G. Serbâl biblicus Sînā. Argumenta ab eis allata rem non probare, demonstrarunt : LAGRANGE (RB. 5 [1896] 630–641 ; 9 [1900] 63–86. 273–287), et A. KELLER, *Eine Sinaifahrt* (1900) 147–170). — Probabilius biblicus Sînā est G. Mûsâ, cuius cacumen meridionale esset mons tabularum legis, et septentrionalis apex (Râs eṣ-Ṣafṣaf) esset mons promulgatae legislationis. Sic plurimi (vg. Palmer, Vigouroux, Jullien, Lagrange, Meistermann, Legendre et alii), etiam antiqua traditio (cf. Aetheria) ; planities er-Raḥā esset desertum Sînā, ubi populus saepius congregabatur.

Ab identificatione Sinai biblici dependet etiam ex parte iter Israëlis per desertum, Palaestinam versus. De hac salebrosa quaestione cf. monographias, initio c. IV. allatas.

(1) 27° 12′ N ; 37° 7′ E ; cf. de hac re E. OBERHUMMER, *Die Sinaifrage, Mitt. d. Geogr., Gesell.* Wien 1911, 628–641 mit Karte.

B) — *Syria (septentrionalis et media).*

Bibliographia : Honigmann E., *Historische Topographie von Nordsyrien im Altertum* in ZDPV 46 (1923) 149–193; 47 (1924) 1–64.

§ 33. — **Aspectus generalis.** — Syria, Suria, hodie *eš-Šâm* dicta, protenditur a radicibus Tauri et Antitauri (c. 36° 5′) ad Aegyptum (31°), et Euphratem; tota c. 285.000 km.² obtinet. — Tribus partibus bene distinctis constat, vdl.: α) ora maritima Mediterranei, ordinarie sat angusta, saepe sabulosa; β) iugo montano, quod a N versus S duabus saepe lineis quasi parallelis currit; denique γ) deserto Syriaco, quod altitudine media 600 m. a radicibus iugi orientalis montium versus orientem (usque ad Euphratem) porrigitur.

Iugum montium, dividens mare Mediterraneum a desertis Syriae, incipit iam a " Pylis Amani et Syriae „ (Bâb Yûnus et Beilân); in nonnullis solummodo locis *vere* interrumpitur profundis et transversis vallibus, quae aquas de montibus ad mare conducunt, atque iugum montium in varias partes, differenti nomine appellatas, scindunt. Summus huius syriaci iugi vertex in Libano est. Praeter maiores illas valles non deest insuper magnus numerus minorum, parallelarum vallium. Videamus saltem nonnullas, magis praecipuas (a N versus S).

Valles, torrentes : Nahr Beilân, *Nahr el-ʿÂṣî* (= antiq. Orontes Fl.), Nahr el-Kebîr 1° (prope el-Lâḏikiyye), Nahr el-Marḳiyye, *Nahr el-Ḳayyis*, Nahr el-Abraš, *Nahr el-Kebîr* 2° (= Eleutherus Fl., ad N urbis Ṭarâbulus), *Nahr Ibrâhîm* (= Adonis Fl.), *Nahr el-Kelb* (= Lycus Fl.), Nahr Beirût (= Magoras Fl.), Nahr ed-

Damûr (= Tamyras Fl.), Nahr el-Awwale (= Bostrenus Fl.), Nahr el-Barġûṭ (= Ardupia Fl., prope Ṣîdônem), Nahr Sennîḳ (= Asclepius Fl.), *Nahr el-Ḳâsimiyye* (= Lîṭâ, Liṭânî, Ps. Leontes). — Alias valles et torrentes iam in ipsa Palaestina videsis (supra §§ 23–26).

Montes. Hisce vallibus iugum montium in minores partes scinditur, quarum nonnulla excipe nomina: *Amanus* (antiquorum, 1840 m.; hodie iugum sine communi nomine), ab extremo septentrione (ubi iungitur Tauro) usque ad Nahr Beilân protenditur; — *Pieria M.* (= Ğ. Arsûz, 1560 m., usque ad Nahr el-'Âṣî); — *Mons Casius* (= Ğ. el-Aḳra', 1770 m.), qui (usque ad Eleutherum Fl.) explicit in longum iugum, antiquitus *Bargylus* (c. 1500 m.), hodie Ğ. Noṣairiyye (a suis incolis) dictum.

A fluvio Eleuthero incipit *mons Libanus* (Ğ. Libnân) in Veteri Testam. (vg. Deut. 1, 7; 3, 25; 11, 24; Ios. 1, 4; 9, 1; 13, 5. 6; Iud. 3, 3; 3 Reg. 9, 19; 2 Par. 8, 6; Cant. 4, 8. 15; 5, 15; 7, 4; Is. 10, 34; 14, 8; 29, 17) frequenter laudatus. Mons hic, ut " gloria Libani „ (Is. 35, 2) celebratus, iugum vere pulchrum ac fertile constituit. Eius altissimum cacumen Râs eš-Šmeile (3360 m., ESE de Ṭarâbulus) simul tq. summus vertex totius syriaci iugi consideratur (1). Libanus a montibus galilaeis (§ 24) dividitur fluvio Nahr el-Ḳâsimiyye.

Libano monti parallelus, ab eoque fertili valle, potius longa planitie el-Biḳâ' (per quam fluunt Orontes et Lîṭânî), a N ad S divisus, est *Antilibanus* Graecorum (Ğ. eš-Šerḳî), qui cacumine Ğ. Ṭal'at Mûsâ (2680 m.) excellit.

(1) De summo cacumine Libani geographorum opiniones satis differunt. Alii vg. dant 3325 m., alii 3215 m., alii simpliciter Ğ. Makmal (3126 m.) tq. altissimum apicem considerant.

Antilibani meridionalis pars, ab eo valle W. Baradà distincta, seseque usque ad Nahr Bâniyâs protendens, est *Ḥermôn*, a Scriptura toties laudatus (Deut. 3, 8; 4, 48; Ios. 11, 17; 12, 1; 13, 5), ab Assyriis et Amorrhaeis dictus Sanîru (Śenîr, Deut. 3, 9), a Ṣidôniis Śiryôn (Deut. 3, 9); hodie vero appellatur Ǧ. eš-Šeiḫ vel Ǧ. eṭ-Ṭelǧ (quia nive etiam aestate coopertus est). Ḥermôn in Ḳaṣr 'Antar altitudinem 2860 m. attingit (1).

Exceptis desertis syriacis, tota regio Syriae — imprimis pars septentrionalis et media — fertilitate ac pulchritudine eminet, et ideo tantopere ab omnibus mundi dominis possessio eius expetebatur: post Babylonios Hethaei, cum Hethaeis Aegyptii, post Aegyptios Assyrii, Aramaei, Chaldaei, Persae, Graeci, Romani denique de ea possidenda decertarunt. Hi, devictis Seleucidis, statim Syriam in provinciae imperatoriae formam redegerunt, eique legatos Augusti pro praetore praefecerunt. (Cf. infra §§. 99 ss.).

(1) Apud Ez. 27, 5; 1 Par. 5, 23; Cant. 4, 8 Sanir videtur significare partem septentrionalem Antilibani inter Heliopolim (Ba'albek) et Emesam (Ḥomṣ) sitam.

PARS II

PALAESTINA
VETERIS TESTAMENTI

PRAENOTANDA

Geographia physica, tamquam basi supposita, ad Palaestinae antiquae geographiam historicam iam gressus fieri potest. — E plurimis quaestionibus huc spectantibus tantum nonnullarum, quae maioris videntur esse momenti, hic synopses afferentur. Cum quaestiones sint satis diversae, bibliographia singularum suis locis convenientius citabitur.

Duas distinctas partitiones ipsa rei natura exposcit. Pars prior nonnullas quaestiones historico-geographicas de Palaestina ante Christum natum continebit ; — in parte posteriore potissimum Palaestina, prouti erat primo post Christum aevo, describetur.

Quaestiones igitur, in II libro tractandae, sunt hae :

C. V. *Palaestinae nomina et limites, quae in documentis antiquis reperiuntur* (§§ 34–36).

C. VI. *Ora maritima Palaestinae eiusque incolae* (§§ 37–40).

C. VII. *Limites " Terrae Promissionis „ in V. T. notati* (§§ 41–42).

C. VIII. *Palaestinae divisio inter tribus Israël, temporibus Iudicum et Regum* (§§ 43–58).

C. IX. *Fines regni Davidici* (§§ 59–61).

C. X. *Limes qui inter regna Ephraim et Iuda fuit* (§§ 62–64).

C. XI. *Viae mercatoriae et militares Palaestinae antiquae* (§§ 65–67).

CAPUT V

Palaestinae nomina et limites, quae in documentis antiquis reperiuntur.

Bibliographia : W. M. Müller, *Asien und Europa nach altägyptischen Denkmälern*, 1893, p. 142–175 ; — Fr. Buhl, *Geographie des alten Palästina*, 1896, p. 9–13 ; — M. Burchardt, *Die altkanaanäischen Fremdworte und Eigennamen im Aegyptischen*, 2 vol. 1909–1910 ; — Fr. Böhl, *Kanaanäer und Hebräer*, 1911 ; — H. Guthe, in Hauck, *Realencyklopädie* IX, 732–734 ; XIV, 557–562 ; praeterea in ZDPV 8 (1885) p. 181–232 ; — praecipue vero H. Gauthier, *Dictionnaire des noms géographiques contenus dans les textes hiéroglyphiques*, Le Caire 1925, ubi inveniuntur omnia nomina aegyptiaca, quae ad Palaestinam et Syriam referuntur, ut Amor, Ketenu, etc.

Palaestina temporis decursu diversis appellabatur nominibus, quae chronologico ordine persequi iuvabit. Antiquissimum est :

§ 34. — **Amurru :** *a*) In textibus cuneatis : Ideographicum MAR.TU [cum A. Delattre (1) legendum : mât Amurri], ad designandam regionem occidentalem trans Euphratem sitam, occurrit iam c. a. 2750 a. Chr., in textibus regis Šargani-Šarri de Agade, dein regum Kudur-Mabuk de Elam, Hammurapi (saec. XX), Ammiditana, et ita porro. — Etiam in 21 litteris de Tell el-'Amârna occurrit " mât Amurri „, phonetice scriptum ; et quidem

(1) *Proceedings of the Society of biblical Archaeology*, London 13 1891) 233–234.

hoc nomine designatur : tota Palaestina (cum Phoenice et Philisthaea), Syria et desertum Syriacum. Ideo tota regio ad occidentem Euphratis sita et usque ad mare Mediterraneum sese porrigens, insuper Palaestina adnumerantur adhuc terrae Amurri. — Textus cuneati posteriores (vg. saec. XI) cognoscunt in Palaestina duo regna : *mât (bêt) Ḫumri* = " terra (domus) Omri „ pro regno Ephraim, et *mât Yaudi* = regnum Iuda (cf. SCHRADER, *Die Keilinschriften und das Alte Testament*, p. 90. 188).

b) In textibus aegyptiis reperitur iam c. 1300 a. Chr. (sub Seti I, Rā'mse II et III) nomen *T'n p'-'imr* (cum articulo, sicut אֶרֶץ הָאֱמֹרִי) = terra Amorrhaeorum, ad determinandum eorum regnum, in septentrionali parte Palaestinae situm ; cuius tamen capitalis urbs erat Ḳadeš ad Orontem.

c) In Veteri Testamento etiam legitur אֶרֶץ הָאֱמֹרִי (Ios. 24, 8 ; Am. 2, 10 et prob. Gen. 22, 2, ubi Syrus habet " 'ar'à d'Amuráye „ [Massor. אֲ הַמֹּרִיָּה cf. 2 Par. 3, 1 ; LXX τοῦ Ἀμωρία]), a principali gente Amorrhaeorum, in Palaestina habitante, appellata.

§ 35. — **Kana'an** (1) occurrit : *a*) in textibus cuneatis, 12ies in litteris Tell el-'Amárna (saec. XV) : *mât Ki-na-aḫ-ḫi* (vel Ki-na-aḫ-ni ; Ki na-aḫ-na = כְּנַעַן) et *m 'tu Ki-na-aḫ* = כְּנַע. Extensio terrae כְּנַעַן neque e textibus cuneatis, neque ex aegyptiis, deduci potest. Aequatio : Amurru = septentr. pars ; Kinaḫna = pars meridion., licet sit a multis recepta, argumentis positivis caret. — *b*) In textibus aegyptiis raro occurrit *Kn'n*. Licet

(1) cf. *Biblische Zeitschrift* 15, 266 ; — STAEHELIN F., *Der Name Kanaan*, in Festschrift Wackernagel (1925) p. 150–153.

Seti I, Mernephtaḥ et Râ'mses III illud commemorent, non constat, utrum nomine Kn'n designetur urbs quaedam terrae Palaestinensis, an tota regio meridionalis Palaestinae. — *c*) In textibus phoenico-graecis (vg. monetis ex aevo hellenistico) invenitur כנען. — Stephanus Byzant. habet: Χνὰ οὕτως ἡ Φοινίκη ἐκαλεῖτο (1), ubi Χνὰ = Kinaḥ = כנע. — S.Augustino teste (2) Poeni appellabant se *Chanani* = כְּנַעֲנִי, — *d*) In S. Scriptura saepissime legitur אֶרֶץ כְּנַעַן, raro כְּנַעַן (Ex. 15, 15; Iud. 3, 1; 4, 2; 5, 19; Is. 19, 18; 23, 11; Soph. 1, 2; 2, 5; Ps. 106, 38), quibus verbis designatur *tota* terra *cisiordanica*. Etymologias artificiales antiquorum כְּנַעַן = regio depressa, ora maritima (a כנע contractus fuit, *Ni.* humiliavit se) bene refutavit Moore (3). — Mat. 15, 22: γυνὴ Χαναναία = Mc. 7, 26: Ἑλληνίς, Συροφοινίκισσα τῷ γένει.

3) **Reṭôn ; Ḫôr.** — In documentis aegyptiis medii et novi imperii occurrit tq. nomen generale Syriae (a Libano versus septentrionem): *Rṭnw* (legendum Reṭôn ?). Et quidem saepe distingui solebat: *Rṭnw ḫrt* i. e. " regio Retôn superioris „, quae complectebatur terram mari adiacentem et montuosam, et *Rṭnw-ḫrt* i. e. " regio Reṭôn inferioris „, quae planitiem eius orientalem usque ad Euphratem includebat, posterius " *Naharin* „ dictam. Occurrunt tamen textus, in quibus nomen Rṭnu-[ḫrt)

(1) *De urbibus*, edidit Dindorf, Leipzig 1835, t. I, p. 469.

(2) Epist. ad Roman. incohat. expos. 11. Migne PL 35, 2096 " Unde interrogati rustici nostri, quid sint ? — punice respondentes Chanani, corrupta scl., sicut in talibus solet, una littera, quid aliud respondent, quam Chananaei ? „

(3) Moore, *Journal of the American Oriental Society*, 15 [1890] Proceedings p. LVII–LXX.

etiam de septentrionali Palaestina et de Coelesyria adhibetur. Hoc praecipue obtinuit initio novi imperii (1).

E contrario, ad designandam Palaestinam mediam et meridionalem, usque ad Ġazzam (vel torrentem Aegypti) pertinentem, occurrit in scriptis aegyptiis tq. nomen ordinarium et proprium : **Haru** (legendum Ḫôr). Initio Ḫôr etiam oram maritimam Syriae complectebatur ; posterius tamen ad solam (et totam) Palaestinam mediam ac meridionalem, quae se a Carmelo (inclusive) seu a torrente Ḳîšôn, usque ad torrentem Aegypti extendebat, restrictum esse videtur. — Sed vocaturne Palaestina meridionalis in documentis aegyptiis **Nagbu ?** — hoc quidem est probabile, sed non ita certum.

§ 36. — In Sacra Scriptura ad designandam Palaestinam alia insuper nomina occurrunt, ut :

a) **Terra Israël,** אֶ֫רֶץ יִשְׂרָאֵל (1 Sam. 13, 19) vel אַדְמַת יִ֫שְׂרָאֵל (Ez. 7, 2), adhibetur tum ad designandum regnum Ephraim (sic vg. 2 Par. 30, 25 ; Ez. 27, 17), tum ad totam Palaestinam. Similiter in N. T. (Mat. 2, 20. 21) et praesertim in Talmude (Cf. NEUBAUER, *La géographie du Talmud*, 1868 p. 1).

b) **Terra Hebraeorum,** (אֶ֫רֶץ הָעִבְרִים, LXX : γῆ Ἑβραίων) ; — non constat, utrum de tota Palaestina, an de meridionali parte, a patriarchis occupata, adhibitum sit Gen. 40, 15.

c) **Appellationes metaphoricae :** *Terra Iahwe* אֶ֫רֶץ יְהוָה, LXX : γῆ τοῦ Κυρίου (Os. 9, 3) ; — *Terra Sancta*

(1) Omnino differentem explicationem dat A. ALT, *Ein Reich von Lydda* in ZDPV 47 (1924) 169–185. Sec. ipsum Rṯnw = Rw.ṯ.n = Luddôn = Lydda, quae centrum constituisset regionis et regni Rṯnw.

אַדְמַת הַקֹּדֶשׁ, LXX : ἡ γῆ ἡ ἁγία (Zach. 2, 16 [12]; Sap. 12, 3; 2 Mach. 1, 7), quo nomine inde a saec. II p. Chr. fere communiter appellatur; — *Terra Promissionis*, γῆ τῆς ἐπαγγελίας, vocatur in epist. ad Hebr. 11, 9 (ex Num. 32, 11); — aliquoties *Terra* הָאָרֶץ κατ' ἐξοχήν (Ruth 1, 1; Ier. 12, 11) praecipue in Talmude, qui alias regiones vocare solet חוצה לארץ = extra Terram.

d) **Iudaea,** Ἰουδαία in N. Test. (Lc. 1, 5; 23, 5; Act. 10, 37; 26, 20), sec. nonnullos de tota Palaestina intellegendum. Certe Iosephus (Antiq. IX, 14, 1; XII, 4, 11) et Strabo (XVI, 749) hanc nomini Iudaeae significationem subiiciunt. Romana " Provincia Iudaea „ (ab a. 66–133 p. Chr.) Idumaeam, Samariam, Galilaeam et Peraeam complectebatur.

Palaestinae nomen est notissimum. Initio sola terra Palaestinorum (i. e. Philisthinorum) פְּלִשְׁתִּים, quae inter Gazzam et Carmelum (?) erat, hoc nomine designabatur. Eadem significatio est *mât Palastu*, *Pilistu* textuum cuneatorum, et eundem sensum aliquoties Iosephus (Antiq. I, 6, 2; II, 16, 3; XIII, 5, 10) huic voci subiicit, qui tamen nomen Palaestinae plerumque sensu lato accipit (Antiq. VIII, 10, 3; contra App. I, 12). — Iam aetate Herodoti (II, 104; III, 91; IV, 39; VII, 89) vocabula Συρίη ἡ Παλαιστίνη totam Syriam meridionalem designabant. Postea, tum apud Graecos vox Παλαιστίνη, cum apud Romanos (ab a. 133 p. Chr.) " provincia Syria Palaestina „ eodem sensu Herodoti adhibebatur. Saec. V p. Chr. tres Palaestinae distinguebantur : *Palaestina I* = Iudaea et Samaria; *Palaestina II* = pars Galilaeae, seu regiones quae erant circa lacum Gennesareth et Iordanem superio-

rem ; *Palaestina III* = Idumaea (a Bersabee usque ad sinum Aelaniticum) et Moabitis. — Arabes antiquiores nomine *Ǧund Filasṭîn* Samariam, Iudaeam Idumaeamque (usque ad desertum et-Tîh) vocitabant (1).

(1) Cf. Guy Le Strange, *Palestine under the Moslems*, London 1890 p. 25–29.

CAPUT VI

Ora maritima Palaestinae in Vetere Testamento eiusque incolae

In Veteris Testamenti epocha (i. e. imprimis a saec. XI ante Chr.), duo populi in Palaestina ethnographice omnino distincti, specialem mentionem merentur, utpote promotores diversarum in Palaestina civilisationum, atque eiusdem oram maritimam incolentes. Sunt vero:

Phoenices, repraesentantes civilitatis syro-cananaeae, optime meriti ob evolutionem mercaturae et diffusionem bonorum civilisationis in orbe antiquo, Palaestinae vero omnium antiquissimi incolae, et

Philisthaei, qui in Palaestinam civilitatem aegaeam invexerunt et Israëlitis non semel periculum crearunt.

N. B. De Israëlitis, Palaestinae maxima ex parte dominis, eorumque historia fuse in alio tractatu agitur.

A) — *Phoenice eiusque incolae (Cana'anitae)*

Bibliographia: Movers F. C., *Die Phönizier* 2 voll., Bonn 1841, 1856; — Renan E., *Mission de Phénicie*, Paris 1864; — Ziemiecki, *Teorya wplywów kultury fenickiej*, 1879; — Perrot-Chipiez, *Histoire de l'Art dans l'Antiquité*, vol. III, 1889; — Rawlinson G., *History of Phoenicia*, London 1889; — Pietschmann B., *Geschichte der Phönizier*, Berlin 1889; — Mayr A., *Die Bedeutung der Phönizier im Völkerleben*, Leipzig 1906; — Langdon Stephen, *Les inscriptions du Wadi Brissa et du Nahr el-Kelb*, Paris 1906; — Weissbach F. H., *Die Inschriften Nebukadnezars II im Wadi Brissa und am Nahr el-Kelb*, Leipzig 1906; — Sethe K., *Der Name der Phönizier bei*

Griechen und Aegyptern in Festschrift für F. Hommel vol. 1 [= MVAG. 1916] 305–332; — Autran Ch., *Phéniciens*, Paris 1920; — Weill R., *Phéniciens, Egéens et Hellènes dans la Méditerranée primitive* in Syria 2 (1921) 120–144; — Woolley C. L., *La Phénicie et les peuples égéens;* ibid. p. 177–194; — Eisler R., *Aegyptisch Fnḫ.w, Griechisch* Φοίνικες in ZDMG. 80 (1926) 154–160; — Contenau G., *La civilisation phénicienne*, Paris 1926.

§ 37. ***Incolae.*** — Cana'anitae — in significatione geographica (i. e. incolae terrae Cana'an seu Palaestinae), simul etiam in ethnographica — antiquioribus Syriae habitatoribus adnumerantur. Multi docti vident in eis puros Semitas, praecipue ob linguam et civilitatem; sed ex aliorum opinione, Cana'anitae ab Ḥamitis descendunt.

Cana'anitis ethnographicis Phoenices adnumerantur. Hac voce Φοίνικες, iam temporibus homericis (Odyss. XIV 288; XV 415), Hellenes designabant incolas orae syrae inter urbes Aradum et 'Akkam sitos. Similiter ad Phoenices designandos in usu habebatur in antiquitate nomen Σιδώνιοι, notum etiam ex Iliade (VI 289; XXIII 743) et ex Odyssea (XVII 424), idque non solum ad incolas Ṣîdônis (illius temporis metropoleos phoeniciae) denominandos, sed in genere ad omnes Phoenices designandos.

In documentis aegyptiis Phoenices appellantur *Fnḫ-w*, in babyloniis *Amurri* vel (serius) *Ḫatti*. E monetis quibusdam elucet, eos ipsos adhuc saeculo II a. Chr. vocasse terram suam כנען (1), unde facile fingi poterat nomen gentilicium כְּנַעֲנִי, adeo bene notum e S. Scriptura

(1) Pauly-Wissowa, *Realenz.*, s. v. Laodikeia 3); Cooke, *North-Semitic Inscriptions* n. 149 B 8.

(cf. Gen. 10, 19 et deinceps). Etiam in coloniis Africae septentrionalis, teste S. Augustino (1), vocabant sese *Chananí*. Quidam auctores suspicati sunt, nomen eorum proprium fuisse illud, quod subest graeco Φοίνικες et aegyptio *fnḫ-w*, quodque nuper Eisler (l. c.) reducere conatus est ad radicem פָּנַךְ, quae in lingua arabica significat idem ac *subsistere*, *habitare* in aliquo loco. Unde participium פָּנִים* designaret incolas urbium maritimarum Syriae in oppositione ad *zûzîm*, nomadas, huc illucque in deserto vagantes pascendisque gregibus deditos. Cum autem, ut p. 103 videbimus, Phoenicii fuerint ḥamiticae originis, et ipsi sese *Cana'ani* vocarent, pronum esset concludere nomen *Phoeniciorum* eis ab eorum vicinis semiticis impositum fuisse et deinde etiam ab aliis adoptatum.

Alio modo appellabant sese etiam ab urbibus, quibus proveniebant *Ṣidonios*, *Tyrios*, *Simyros* etc.

Sec. LXX ארץ כנען = ἡ Φοινίκη, vel ἡ χώρα τῶν Φοινίκων (Ios. 5, 1. 12; Ex. 16, 3. 5; Is. 23, 2; Iob 40, 15 [30]; — etiam Deut. 3, 9). — Kana'an = Phoenice etiam e tabula gentium (Gen. 10) probatur, ubi civitates Phoenicum (Ṣîdôn, 'Arḳâ, Sînâ, Aradus, Ṣimyra, Ḥamât [?]), inter descendentes patris Kana'an enumerantur.

Origo. — Cana'anitae–Phoenices saltem 3000 annorum ante Chr. (2) in Syriam venerunt. Unde? — certo nescimus. Herodotus (I, 1; VII, 89) et post eum Strabo (XVI, 3. 2) affirmant, Phoenices initio ad mare Rubrum (i. e. ad sinum Persicum) habitasse. Nonnulli e recentio-

(1) *Epist. ad Rom. incohata expositio*, 11. Migne, PL. 35, col. 2096.

(2) Fundatio Tyri, quae tamen fuit Ṣîdône posterior, accidit versus annum 2730 ante Chr.

ribus doctis in Phoenicibus caucasias tribus immigratas vident, quae immigrationes ḥethaeas (proprie dictas) versus Syriam, Palaestinam et Aegyptum anticiparunt. Renan initio quidem censuit, Phoenices esse semiticae originis, sed post longiora profundioraque studia, in ipsa Phoenice peracta, opinionem mutavit (l. c. p. 837 s.) et in primitivis Phoenicibus Ḥamitas agnoscit (in concordia cum *Gen. 10*), quos demum aliquot saeculis post Amorrhaeorum invasionem ex toto Semitas devenisse putat. Similiter Virchow rationibus anthropologicis probat, Aegyptios (qui sine omni dubio erant Ḥamitae) et Cana'anitas ad eamdem stirpem albam pertinere; eorum vero cutem subrubram deberi actioni solis meridionalis. Adeoque nunc admitti recte potest, Cana'anitas–Phoenices fuisse primitus Ḥamitas et demum labente tempore — licet iam aetate valde remota — sub influxu vicinorum Amorrhaeorum recepisse linguam et civilitatem semiticam, non obstante (in ceramica et arte primitiva) influxu aegyptio.

Lingua phoenicia — in quantum ex inscriptionibus et fragmentis diiudicari potest — erat certo certius semitica, linguae cananaicae et palestinensi valde propinqua, a qua etiam linguae (potius dialecti) moabitica et israëlitica descendunt.

Religio Phoenicum, praeter communes aliis Syris, profitebatur insuper proprias divinitates; — sic vg. in Tyro colebatur Melkart (= rex urbis); in Ṣîdône Ešmûn, in Beryto Pa'am. Aegyptiae quoque divinitates magna religione in Phoenice observabantur, ut Isis et Osiris in Byblo; Horus, Thot, Bast in aliis urbibus. Quinimmo babylonici Tammûz-Adonis, Hadad et Dagon, syri vero Rešef et 'Anat a Phoenicibus colebantur, cuius rei argumento sunt nonnulla templa, in ruinis inventa a recentioribus terrae huius exploratoribus.

Limites urbesque regionis. — Phoenices in Syria parvam terrae partem occuparunt, ad oram maritimam, Libano adiacentem, restricti. Tempore maximi splendoris fines eorum constituebant : in meridie urbs Dôr (hodie Ṭanṭûra), immo aliquamdiu et Ioppe (Yâfâ) ; in septentrione autem Laodicea (hodie el-Lâdiḳiyye). — Ad Phoenicen (aetate Regum V. T.) spectabant circiter 10 maiores urbes, quae sui iuris erant et minora oppida circumiacentia sibi subiecta habebant, fere omnes autem in dissitis regionibus distinctas colonias possidebant.

Erant vero hae (a septentrione meridiem versus) :

Arwâd (Gen. 10, 18 ; Ez. 27, 8. 11), in LXX : Ἀραδος, Ἀράδιοι ; Vulg. Aradon, Aradii. — Arwâd, hodie parva insula ad oram Syriae sita, prope ostium Eleutheri fl. (= Nahr el-Kebîr), simul (?) cum Tyro et Ṣîdône fuit fundatrix Tripoleos (= Ṭarâbulus); cf. Strabo XVI, 2, 15. Incolae Arwâdi oram etiam maritimam adiacentem (a Marathunte [= ʿAmrît]) usque ad Antaradum (Ṭarṭûs) habitabant eique dominabantur. Ad Arwâdi regionem sec. nonnullos spectabat *Ṣimyra*, cuius incolae Samaraei (haṣ-Ṣemârî, LXX : ὁ Σαμαραῖος) commemorantur Gen. 10, 18 ; 1 Par. 1, 16. — Ṣimyra = hodie prob. ruinae Ṣumrâ (prope Eleutherum fl.) ad sept. de Arwâd.

ʿArḳâ, cuius incolae ha-ʿArḳî (LXX : ὁ Ἀρουκαῖος, Vulg. Aracaeus) commemorantur (Gen. 10, 17 et 1 Par. 1, 15) inter descendentes Chananaei ; hodie ʿIrḳâ vel Tell ʿArḳa, 8 km. ad meridiem de Eleuthero fl. (Nahr el-Kebîr).

Tripolis (Τρίπολις, hodie Ṭarâbulus), inter Byblum et Aradum sita, nomen accepit a tribus coloniis distinctis

suorum fundatorum, vdl. Ṣîdônis, Tyri et Aradi. Scriptura neminit Tripoleos semel (2 Mach. 14, 1).

Botrys (Βοτρύς, hodie Baṭrûn), temporibus regis Nebukadnezar II arx munita.

Gebal (Ez. 27, 9; LXX: Γεβάλ, Vulg. Gebal, hodie Ğebeil). Eius incolae Giblii bis nominantur a Scriptura (Ios. 13, 5 [hebr.]; 3 Reg. 5, 18 [hebr. 1 Reg. 5, 32]). Urbs vero ipsa a Graecis Βύβλος vocabatur, atque sancta ob Adonidis mysteria habebatur, quae praecipue in 'Afeḳa (LXX: Ἀφέκ, Vulg. Apheca), non longe (SE) a Gebal distante (hodie Afḳâ) celebrabantur, ubi " fontes Adonidis „ (hodie fluvii Nahr Ibrâhîm) dicti conspiciuntur.

Berytus, hodie Beirût. Nonnulli vident in Beryto phoenicia hebr. Bêrôtay (2 Sam. 8, 8) et Bêrôtâ (Ez. 47, 16, LXX: ὁ Βηρωθί = Berothites), Vulg. Beroth, — quod tamen omnino dubium est.

Ṣîdôn (LXX: Σιδών, Vulg Sidon, hodie Ṣaidâ) una cum Tyro celeberrima Phoenicum metropolis ac domina, a qua Sarepta et Ornithopolis dependebant.

Ṣôr (LXX: Τύρος, Vulg. Tyrus, hodie Ṣûr), sicut Arwâd in insula sita (Ez. 26, 4. 14; 27, 4). Huic in littore alia maior respondebat, Παλαίτυρος appellata, quam Alexander M. († 332) delevit, et ex eius ruinis ingentem aggerem exstruxit, quo urbem insularem expugnavit et cum littore iunxit.

Akzib (LXX: Ἀχζί, Vulg. Achzib et Achziba) apud Graecos et Latinos Ἐκδίππα appellata, hodie ez-Zîb. Urbs haec chananaea, a Phoenicibus habitata, tribui Aser destinata est, sed ab Aseritis non est expugnata (Iud. 1, 31). Sicut 'Akkô fuit arx munita.

'Akkô (LXX: Ἄκχώ, in libris Machabaeorum et in Actibus Ap. Πτολεμαΐς appellata, Vulg. Accho, hodie 'Akkâ). Eam fuse descripsit Fl. Iosephus (*Bell.* II, 10, 2). Similiter atque Akzib, 'Akkô numquam a tribu Aser, cui sorte obtigerat, expugnata est (Ios. 19, 24–31), sed Phoenicibus autonoma mansit.

§ 38. **Res gestae et merita.** — In historia Phoenices tres periodos distinguere debemus: *a*) anni 2680–1200 a. Chr. sub aliena dominatione; *b*) 1200–876 a. Chr. aera independentiae; *c*) post a. 876 a. Chr. iterum dominationes exterae: assyria, chaldaea, persica, graeca, romana etc.

a) In prima periodo Phoenice fortasse a Babylone pendebat, cuius rex Sargon I Syriam mediam et Cyprum sibi subiecit. Cypri mentio ideo magni est momenti, quia documento est, iam hisce remotis temporibus navigationem exstitisse. Verisimillime in classe phoenicia Sargon I, Agades rex, Cyprum invasit. — In hac a Babylonia dependentia (?) Phoenice brevi tantum tempore permansit, eiusque principes independentiam assecuti sunt usque ad medium II millenium a. Chr. Tunc enim (i. e. circa annum 1570), regibus Ḥyḳšôs expulsis, Aegyptus meridionalem quoque Syriam occupavit, id quod postea Thuthmosis III firmavit, Palaestina et Phoenice (usque ad Aradum) sibi subactis. Sub Amenophi IV – Ḫnatone, prout litterae Tell el-'Amârna testantur, Phoenicen a septentrione invadunt Ḫethaei, ab oriente vero Amorrhaei, ducibus 'Abdaširtu et Aziru; Aegyptus vero nullam fere suis subditis Syris fert opem. Demum Râ'mses II, pacto cum Ḫethaeis inito, Aegypto pacificam totius Syriae meridionalis (prob. usque ad Nahr el-Kelb) possessionem procuravit. Hoc tamen non diu mansit.

b) Aegypti Babylonisque praepotentia collabente, Ḫethaeorum vero regno exstincto, Phoenices tandem independentiam nacti sunt. Primo Ṣîdôn (1200–1000), dein Tyrus (1000–876) supremum regimen totius confoederationis urbium Phoenices tenuere. Rex Hiram I (969–936) cum Davide et Salomone pacifica commercia habuit; unus vero eius successorum Itoba'al (887–856) filiam suam regi Samariae Achab in

matrimonium dedit. Attamen tempora nimium quantum fuere iam incerta, Assyriae vero potentia crescebat.

c) Iam Tiglatpilesar I (circa 1110) Libanum cum exercito invasit, Aradumque usque perrexit; Aššurnaṣirpal II (a. 877) Phoenicen devastavit, eamque ad tributa solvenda adegit. Eius successores mirum quantum Phoenicibus duri gravesque fuere. Obsidiones urbium, devastationes, graviaque tributa — res fere quotidianae Phoenicibus devenerunt. Ninive diruta, rex Chaldaeae Nebukadnezar II Phoenicibus non pepercit. Tyrus per annos 13, regnante Itoba'al II, obsidionem Chaldaeorum sustinuit. Sub Hiramo III (551–532), Phoenice dominationem chaldaeam in persicam commutavit. Tres Phoenicum urbes (Ṣîdôn, Aradus et Tyrus) tunc temporis principes fuere, omnesque ad quintam persicam satrapiam pertinuerunt. Victori Alexandro M. unice Tyrus per 7 menses restitit, id quod duro modo expiavit. Abhinc Phoenice, finibus monarchiae graecae inclusa, cum ea communem sortem habuit. — Hac tamen adversa variaque sorte politica non obstante, Phoenices nunquam haec duo, vdl. commercium et navigationem praetermiserunt.

Industriae et commercium. Parva illa regio montuosa, quae fuit Phoenice, suis plurimis incolis sufficere non potuit, ideoque eos ad navigationem piscationemque coëgit. Navigatione ad perfectionem perducta, opificia quoque ac commercium magnum habuere proventum. Exterae gentes, quantum ad rerum producendarum formam, exemplum Phoenicibus dedere; hi etenim in Mesopotamia emebant pretiosos lapides et textilia, in Aegypto cognoverunt res vitreas et metallicas, quibus probatis ea apud se producebant et ad apicem usque perficiebant, immo nova inveniebant, vg. purpurae tincturam. Res productae commercium cum omnibus vicinis remotisque populis permisere, praecipue vero cum illis, qui oras maris Mediterranei et Ponti Euxini incolebant. Classis commercialis mirum quantam aucta, insuper et marium navigationisque experientia Phoenices mediatores effecit Orientis cum Occidente. E longinquis regionibus Phoenices materiam crudam conducebant, eaque in Phoenice elaborata, in totum fere antiquum orbem devehebant. Captivorum quoque commercio indulgebant, quos dynastis Orientis suppeditabant. In commercio maritimo per longum tempus neminem sibi habuerunt aequalem; posterius de-

mum Hellenes eos e mari Aegaeo propulsarunt; occidentalis tamen maris Mediterranei pars in exclusiva fere Phoenicum permansit dominatione. Exinde in Oceanum Atlanticum audacia verterunt vela, Britanniam et mare Balticum usque pervenerunt, immo Africam circumnavigasse dicuntur. Quae omnes maritimae expeditiones ideo solum fieri potuerunt, quia Phoenices, marium oras occupabant.

Colonias quoque proprias ibi condebant, ubi spem lucri et materias primas (vg. metalla) conspexerunt. Sic fuit in Cypro, ubi inveniebatur cuprum, sic in Hispania meridionali, quae argento abundabat. Omnis talis maritima colonia ordinarie portu, fabricis navium et mercium depositis constabat, quae manu militari custodiebantur. Labente tempore orae maris Aegaei, Siciliae, Sardiniae et Corsicae, praecipue vero Hispaniae et Africae septentrionalis reti quadam phoeniciarum coloniarum tectae sunt, quae cum maternis urbibus fundatricibus in stricta relatione commerciali et politica fuerunt.

Nonnullae tamen coloniarum, vg. Carthago (in Africa septentrionali) et Cadix (in Hispania), magnam nactae sunt potentiam, tunc praesertim quando urbes phoeniciae in Syria suam pristinam gloriam et vim amiserunt propter continuo repetitas Assyriae invasiones, quae mirum quantum sanguineae et crudeles fuere. Occidentalium coloniarum Phoenicum res gestae stricte cum historia Romanorum iunguntur.

Quantum ad urbes phoenicias in Syria et extra Syriam hoc in genere dici potest, eas semper aliquali autonomia praeditas fuisse. Praeerant ipsis reges vel iudices cum potestate tamen limitata; ad latus habebant consilium vel senatum, in quo familiae principes praevalebant; — ubi vero populus regimen nactus est, ibi etiam respublicae non deerant.

Merita Phoenicum in civilitate humana evolvenda ac propaganda fuerunt eximia. Ipsi enim fuere praecipui navigationis auctores; ipsi scripturam, ab aliis (forte ex Aegypto?) mutuatum, faciliorem expeditioremque fecerunt atque in Europam simul cum mercibus transportarunt. Propriam tamen culturam non habuerunt, sed in tota sua arte ac civilitate fuere tantum eximii imitatores aliorum (Aegypti, Babylonis, Assyriae et partim Aegaeae).

B) — *Philisthaea et Pelištîm*

Bibliographia: Hitzig F., *Urgeschichte und Mythologie der Philisthäer*, Leipzig 1845; — Stark K. B., *Gaza und die philisthäische Küste*, Jena 1852; — Haennecker, *Die Philisthaea*, Eichstädt 1872; — De Cara P. D., *Gli Hethei-Pelasgi*, Roma 1894; — Müller W. M. *Die Urheimat der Philister*, 1900; — Noordtzij, *De Filistijnen*, Kampen 1905; — Macalister Stewart, *The Philistines*, (Schweich Lectures 1911). — Desnoyers L., *L'invasion des Philistins en Canaan*, Bul. de Lit. eccl. 12 [1921] 241-264. — Phythian-Adams W. I., *Philistine origins* in "British School of Arch. in Jeruralem „ 1923; — Range P, *Philistaea* in ZDPV 46 (1923) 129-148.

§ 39. ***Pelistîm*** = Palusata = Philistini ortum probabiliter ducunt e Creta (Kaftor = Kefto); hanc ob causam S. Scriptura nonnunquam Philisthaeos vocat Kaftorîm, seu Keftiu, adeoque Aegaeos esse supponit. Philistini in Palaestinam immigrarunt demum sub Ramsete III (1198-1167), tempore tertiae invasionis gentium aegaeo-asiaticarum in Aegyptum (1). Tunc temporis planitiem maritimam Šefelam occuparunt, in eiusque 5 civitatibus foederationem condiderunt, quae a quinque principibus, serânîm dictis, gubernabatur, qui potestate civili et militari praediti erant. Exercitus Philistinorum dividebatur in cohortes et manus (de numero tamen non satis constat) possidebatque multos currus bellicos.

Monumenta aegyptia XX^{ae} dynastiae ad vivum Philistinos in imagine exhibent, qui radebant totam barbam, crines decurtabant, caput omnino speciali cooperiebant casside, quae sub mento claudebatur partemque cervicis te-

(1) Palaestini, qui tempore Abrahae (Gen. 21, 32. 34), Isaac (Gen. 26, 1. 8. 14 ss.) et Mosis (Ex. 13, 17) a Scriptura commemorantur, nil commune habent cum Pelištim posterioribus; prob. per prolepsim vocantur ita alii populi, hanc Palaestinae regionem incolentes, ubi postea Pelištim habitabant.

gebat; cassidis vertex pennis magnis cristatus erat. Eadem Philistini forma occurrit quoque 14 vicibus in prima pagina celebris disci de Phaisto (in Creta) iam XVII saec. ante Chr., quod originem Philistinorum de Creta confirmare videtur. Palusati (Pulaṣta) etenim sunt Pelasgi cretenses, et sub hac denominatione noti erant Graecis; parvum nominis discrimen ex hoc processit, quod nonnullis in locis Hellados γ pronuntiabatur ut δ (cf. vg. Aeschylum et Euripidem, apud quos loco γᾶ, γῆ [terra] occurrit δᾶ. Inde quoque explicatur, cur dea terrae non Γημήτηρ, sed Δημήτηρ appellaretur). Quae monstrant, turmam eorum cretensium Pelasgorum in Syriam migravisse, quae *g* pronuntiabat ut *d* vel *ṭ*, seu quae se appellabat Pelaṣta (Palusaṭa–Pelištîm) loco Pelasga.

Religio Pelasgorum-Philistinorum initio non differebat a religione aliorum Aegaeorum. Primum locum in pantheo aegaeo dea mater, domina naturae, vitae et mortis occupabat. In eius comitatu divinitates masculinae, daemones et entia mixta apparent. Divinitates colebantur initio in antris et speluncis, dein in sacellis et sub dio. In genere religio haec fuit cultus virium naturae, in quo arbores, duplex acinaces (labrys) et etiam defuncti veneratione gaudebant. Philistini, in Palaestinam advecti, admiserunt in suum pantheon divinitates locales, quas invenerunt, ut vg. Dagonem, Be'elzebûb, Aštarten–Derketo aliasque similes. In earum honorem templa erigebantur, quae sacerdotes et harioli custodiebant. Deorum simulacra etiam in expeditionibus militaribus ducebantur. A reliquis Palaestinae populis Philistini eo distinguebantur, quod incircumcisi erant, id quod in oculis Israëlis opprobrio habebatur (cf. 1 Sam. 14, 6; 17, 26. 36; 31, 4; Iud. 14. 13).

Res gestae Philistinorum palaestinensium bellis pugnisque redundant. Consideratis eorum bellica virtute, melioribus armis curribusque bellicis, nil mirum, eos brevi Iudaeam sibi subiugasse et fere per 40 annos Israëli imperavisse. Dein non semel adhuc pugnabant cum Iacobi descendentibus. Aegyptius pharao Šošenḳ, Salomone mortuo, eos subiugavit. Abhinc cito Semitae devenerunt, sed aegaeae culturae

influxum, eumque non parvum, in civilitatis palaestinensis evolutionem certum reddiderunt. Assyriorum regum invasiones etiam Philistaeam non semel affecerunt. Adadnirâri III (807–783) et post eum Tiglat Pilesar III (746–728) Philistaeam suo imperio adiunxit. Sargon II (a. 711) et Senaherib (a. 701) Philistaeae urbes devastarunt partemque incolarum in servitutem redegerunt. Bella Aegyptum inter et Chaldaeam Philistinis non pepercerunt, qui abhinc communem cum tota Syria sortem habuere. Tempore Diadochorum Philistaeae urbes ex toto hellenizatae sunt, nomen tamen Philistaeae paulatim in totam Syriam meridionalem transiit, cuius rei documento est hodierna " Palaestina „. Hoc nomen (Συρίη ἡ Παλαιστίνη), ad designandam totam Syriam meridionalem, occurrit iam apud Herodotum (II, 104; III, 91; IV, 39; VII, 61).

§ 40. ***Limites urbesque Philisthaeae.***

Philisthaeae *extensio* non eadem semper mansit in diversis historiae epochis. Philisthaea proprie dicta (post Hebraeorum invasionem) littus maritimum, in meridie Phoenices situm, occupabat adeoque ab Ascalone (forte etiam a Yâfâ) in septentrione usque ad Gazam et Raphiam eiusque deserta protendebatur. — *Limites* exacti dari nequeunt (cf. Ios. 13, 2–3; 1 Sam. 6, 12; Is. 9, 12). Ab occidente certo erat ea maris Mediterranei pars, quae inter Ascalonem Gazamque protenditur. Ab oriente limes maxime varius erat, ob continuum fere cum Israëlitis bellum, quod eorum fines versus occidentem progredi vel retrocedere cogebat. Theoretice radix montium Iudaeae et (partim) Samariae limitem constituisse videtur, adeoque planities Šefelâ territorium Philistinorum proprium dici potest.

Confoederatio Philistinorum quinque magnis urbibus constabat, prope littus maritimum sitis. Erant vero (a S. versus N):

1. *Ġazza* (LXX: Γάζα, Vulg. Gaza, hodie Ġazze), a Graecis (vg. Herodoto) saepe Καδύτις dicta. — Urbs fuit

omnium, quae hodie adhuc exsistunt, fere antiquissima, iam Gen. 10, 19 commemorata, Philisthaeaeque facile per aliquod tempus princeps. Urbs ipsa magnopere extensa fuit, atque distinctum portum (Μαιουμᾶς, hodie el-Mîne dictum) possidebat. Cum Gazza caput esset viarum palaestinensium, ex commercio magnos proventus habuit.

2. *'A ḳelôn* (LXX: Ἀσκαλών, Vulg. Ascalon, hodie 'Asḳalân), unica urbium confoederationis in ipso littore maris sita, deae Derketo (Atargatis) — in forma piscis veneratae — sacra. Ingentes huius urbis ruinae, ab Anglis exploratae (cf. pag. 27), hodie adhuc videri possunt.
3. *'Ašdôd* (LXX: Ἄζωτος, Vulg. Azotus, hodie Esdûd), confoederationis philisthaeae caput considerabatur, atque in via Aegyptum inter et Syriam (cf. § 66 s.) sita erat. Arx munitissima, per 29 annos — si Herodoto (II, 57) credimus — regi Aegypti Psammetich, eam obsidenti, restitit (saec. VII a. Chr.).
4. *Gat* (LXX: Γέθ, [B: Ἀζόβ], Vulg. Geth), patria Goliath, iam in antiquitate iudaica ita quoad nomen disparuit, ut eius situs hodie sit valde controversus. Proposita sunt: *Ḏikrîn* (Guérin, Guthe), *Dêr Dubbân* (Robinson), *Tell Zakâriyâ* (Furrer), *Tell eṣ-Ṣâfiye* (Porter, Conder, Armstrong, Warren), *Beit Ǧibrîn* (Fürst) etc.
5. *'Êḳrôn* (LXX: ἡ Ἀκκαρών, Vulg. Accaron, hodie 'Âḳir), olim sanctuario Be'elzebûb, oraculis celebri, in antiquitate nota (4 Reg. 1, 2. 3. 6. 16), nunc paucas solum ruinas possidet, quae hic fuisse antiquam illam urbem produnt.

Omnes Philisthaeae urbes distinctos districtus cum pagis et vicis adiacentibus efformabant, qui tamen (districtus) unum continuum inter se efficiebant.

CAPUT VII

Limites « Terrae Promissionis » in Vet. Testamento notati

Bibliographia : I. G. Wetzstein, *Ueber Ḳadeš* (Gen. 14, 7) *und Palaestinas Südgrenze* (Ios. 15, 1–4) in Frz. Delitzsch, *Kommentar zur Genesis*⁴ 1872 p. 567–590; — K. Furrer, *Die antiken Städte und Ortschaften im Libanongebiete*, in ZDPV 8 (1885) p. 16–41; — I. P. van Kasteren, *La frontière septentrionale de la Terre promise*, in RB 4 (1895) 23–36; — I. Boehmer, *Von Dan bis Berseba* in ZDPV 32 (1909) p. 134–142.

Tractabitur hic exclusive quaestio: 1) quosnam terminos ponat VT illi terrae, quam Deus patriarchis promisit, et pro cuius possessione Israël tot bella gessit; 2) sintne hi limites saltem semel ab Israëlitis re vera possessi? — *Loci Scripturae*, de hac materia tractantes, in tres classes commode dividi possunt; — nam vel 1) amplissimi et generales limites assignantur; vel 2) limites praecisi, satis exacti promittuntur, sed utique fines quasi ideales, scl. limites territorii, quod (conditionate) promittitur occupandum, quodque Israëlitae ut " suum de iure „ aliis populis contendere poterant; vel denique 3) termini praecisi re ipsa possessi (saltem tempore maximi splendoris sub Davide, Salomone et Ieroboam II) indicantur. — Cum textus sub 2) et 3) afferendi sint sibi affines, perspicuitatis gratia agemus:

I) de limitibus praecisis (promissis et possessis)

II) de limitibus amplissimis.

§ 41. — A) ***Limites praecisi (promissi et possessi).***

Duo loci Scripturae, quibus "Terra Promissa„ delineatur, sunt in hac re classici, vdl. *Num. 34, 3–12* et *Ez. 47, 13–20*; — qui, si complexive sumantur, satis inter se concordant, licet in particularibus difficultate ex variis rationibus non careant. Consideremus singula:

a) **Limes occidentalis:** α) promissus erat mare Magnum (Mediterr.), vide Num. 34, 6; Ez. 47, 20. — β) Hic limes promissus (idealis), porrigens se a torrente Aegypti (W. el-'Arîš? vel W. Gazze? vel brachio Nili pelusiaco?) usque ad regiones Ṣidônis, nunquam re ipsa totus ab Israëlitis occupatus est. Nihilominus diversis temporibus variae partes orae maritimae erant in possessione Israëlitarum sive directa, sive indirecta (per tributa).

b) **Limes orientalis:** α) promissus. Sec. *Num.* 34, 10–12 fuit linea ab Ḥaṣar 'Ênân (Vulg. villa Enan) per Šefâm (Vulg. Sephama), ha-Riblâ (Vulg. Rebla), iugum montis ad orientem lacus Kinneret (Vulg. Cenereth) ad Iordanem, deinde Iordanes et mare Mortuum (Vulg. "salsissimum„). — Sec. *Ez.* 47, 18: de Ḥaṣar 'Ênôn (v. 17; Vulg. atrium Enon), — quod est inter Ḥaurân (Vulg. Auran) et Damascum, — linea ad Iordanem; dein Iordanes (qui est inter Gil'ad et Israël), mare Orientale (= Mortuum) usque ad Thamar. Textus massoreticus Ezechielis 47, 18 non uno loco sec. versiones debet corrigi, quo facto cum Num. 34, 10–12 concordabit. In concreto tamen etiam haec concordia (inter Num. 34, 10–12 et Ez. 47, 18) stabilita parum nos iuvat, cum situm et identificationem locorum Ḥaṣar 'Ênân ('Ênôn), Šefâm, ha-Riblâ nesciamus, ac proinde solum ad partem limitis orientalis (a lacu Ge-

nesareth, per Iordanem, ad finem maris Mortui) restringamur. — β) Limes orientalis possessus (realis), si tribus transiordanicae adnumerentur, per saeculorum decursum amplior erat, quam promissus. Notari tamen debet, Num. 34 supponere tribus transiordanicas iam possedisse suas terras, adeoque ad solam terram cisiordanicam proprie referri.

c) **Limes meridionalis:** α) promissus, sec. *Num.* 34, 3–6: — generatim intellegitur regio a solitudine Ṣin usque ad Edom; speciatim vero limes a procursu (meridionali) maris Mortui, per plagam sitam ad meridiem ʿAḳrabbîm (Vulg. Ascensus Scorpionis), usque ad (solitudinem) Ṣin et usque ad regionem, ad meridiem Ḳadeš Barneaʿ (Vulg. Cadesbarne) sitam, extenditur. Dehinc per Ḥaṣar, Addar, ʿAṣmôn (Vulg. Asemon) ad Torrentem Aegypti et mare (Mediterr.) se porrigit. — Sec. *Ez.* 47, 19: limes procurrit a Thamar per Mê-Meribôt prope Ḳadeš (Vulg. Aquas contradictionis Cades), usque ad Torrentem (Aegypti) et mare Magnum (= Mediterraneum).

Non multum differt limes meridionalis, assignatus in I^a^ divisione tribui Iuda, sec. *Ios.* 15, 1–4: A procursu meridionali maris Mortui per plagam ad meridiem loci ʿAḳrabbîm sitam, per desertum Ṣin et regionem ad meridiem Ḳadeš Barneaʿ usque Ḥeṣrôn (Vulg. Esron), dehinc per Addar, Ḳarḳaʿ (Vulg. Carcaa), ʿAṣmôn, ad Torrentem Aegypti et mare Magnum (Mediterr.). Qui tres textus mutuo se complent, efficiuntque lineam semicircularem a mari Mortuo ad torrentem Aegypti, quam constituit: mare Mortuum (Num. Ios.) — regio meridionalis de ʿAḳrabbîm (Num. Ios.) — Thamar (Num. Ez.) — Ṣin (Num. Ios.) — regio meridionalis Ḳadeš (Num. Ios.) = Mê-Meribôt

prope Ḳadeš (Ez.) — Ḥaṣar (Num.) = Ḥeṣrôn (Ios.) — Addar (Num. Ios.) — Ḳarḳa' (Ios.) — 'Aṣmôn (Num. Ios.) — Torrens Aegypti (Num. Ez. Ios.) — mare Magnum (Num. Ez. Ios.) (1).

β) Fines possessi partis meridionalis non discordant sec. Script. a finibus idealibus, promissis. Ita sec. 3 Reg. 8, 65 = 2 Par. 7, 8 ad dedicationem templi conveniunt omnes Israëlitae " ab introitu Emath (= Ḥamât) [in septentrione] usque ad Torrentem Aegypti „. Sec. 1 Par. 13, 5 " David coëgit universum Israëlem a Šiḥôr Aegypti ad introitum Ḥamât „. Sec. Amos 6, 14 inimici oppriment Israëlem " ab introitu Ḥamât ad Torrentem deserti „. — Huc denique spectat formula: " A Be'êršeba' usque ad Dan „ (de qua infra § 42, p. 122).

Quae cum ita sint, facile termini meridionales Palaestinae in concreto, in mappa, constitui possent, si omnium locorum situs sive certo (sive saltem probabiliter) idem esse nunc ac in antiquitate probaretur. Sed hoc fieri non potest. Nihil certi scimus de Ḥaṣar = Ḥeṣrôn (2), de

(1) In aliis locis Script. solummodo partes termini meridionalis afferuntur: ut desertum Ṣin (Num. 13, 22); desertum terrae Iuda (Ex. 23, 31; Deut. 1, 7; 11, 24: Ios. 1, 4); mons Śe'îr (i. e. Edom: Ios. 11, 17; 12, 7); Torrens Aegypti (Gen. 15, 18) = Šiḥôr (Ios. 13, 3).

(2) Fortasse pro Ḥaṣar licet proponere hodiernum Ğ. Ḥaḍrâ (NE de Ḥ. 'Abde, in mappa H. Fischer, *Das Syrisch-Aegyptische Grenzgebiet*), cuius situs responderet bene descriptioni. Ḍ arabicum correspondet saepe צ (ṣ) hebraico. — Musil (*Arabia Petr.* II. 2, 30. 48) videt *Ḥaṣar* in Ḳôz el-Ḥaḍîre, *Addar* in Ḥ. ez-Zeife; *'Aṣmôn* in Umm el-'Aẓâm (l. c. II. 2, 47. 73). Musil quidem in sua carta non ponit Ğ. Ḥaḍrâ, sed tantum Ğ. Ḥâlâḳ, collocando magis versus NE illud Ḳôz el-Ḥaḍîre, sed fortasse idem est ac Ğ. Ḥaḍrâ in delineatione a Fischer edita?.

Addar, Ḳarḳa', 'Aṣmôn; probabile est (sed item satis controversum): Thamar esse Kurnûb; 'Aḳrabbîm esse 3 iuga (Naḳb eṣ-Ṣufêy, Naḳb eṣ-Ṣafâ, Naḳb el-Yemen); Ḳadeš esse 'Ain Ḳedeis, vel 'Abde (?); Torrentem Aegypti esse W. el-'Arîš (ita communiter censent), vel W. Ġazze (sic Musil, quem tamen pauci secuti sunt), vel ramum Nili pelusiacum; — desertum Ṣin et Mê-Meribôt pendent a soluta quaestione Ḳadeš. Certa sunt solum: mare Mediterraneum (sed in quo puncto?) et procursus meridionalis maris Mortui (W. el-Fiḳre).

Tentaminis gratia propono fines naturales Terrae Promissionis in duplici hypothesi:

A) *Hypothesis communis:* Torrens Aegypti = W. el-'Arîš. In ea limes curreret ab es-Sebḫa — per W. el-Fiḳre, W. el-Marra, Ġ. Ḥaḍrâ, Ġ. Maḳrâ, W. Luṣṣân, W. el-Ġarûr, ostium W. el-Ḥadera, usque ad W. el-'Arîš.

In hac hypothesi

Thamar . . . . = ruinae arcis ad Naḳb es-Ṣafâ
Ḳadeš . . . . = 'Ain Kedeis
Mê-Meribôt . . = Bîr Umm Raḍîm
Addar . . . . = W. el-Ḥadera
desertum Ṣin . . = regio ad occidentem de W. el-Yemen.

B) *Hypothesis a Musil proposita:*

Torrens Aegypti = W. Ġazze
Ḥaṣar . . . . = Ḳôz el-Ḥaḍîre
Addar . . . . = Ḫirbet ez-Zeife
'Aṣmôn . . . = Umm el-'Aẓâm

insuper in hac hypothesi propono, pro:

Thamar . . . . = ḫ. (ruinae arcis ad) Naḳb eṣ-Ṣafâ
desertum Ṣin . . = regio ad occidentem de W. el-Yemen (Abu Teraibe)
Ḳadeš . . . . = Biyâr 'Aṣlûğ
Mê-Meribôt . . = NE de Hedel Emhanna (Wells and Ruins)
Ḥaṣar-Ḥeṣrôn . = Ğ. Ḥaḍrâ

Hisce suppositis in II[a] hypothesi limes esset : ab es-Sebḥa per W. el-Fiḳre, W. el-Marra, G. Ḥadrâ, G. Umm 'Urḳân, W. el-Mu'allaḳa, W. eṣ-Ṣini, W. Gazze.

C) Qui Šiḥôr (i. e. aquas Ḥori) in ramo Pelusiaco Nili (in Aegypto) quaerit, adhuc magis in occidentem initium termini meridionalis Palaestinae reponat, necesse est.

d) **Limes septentrionalis** maiores adhuc praebet difficultates.

α) Videamus imprimis, quae ad terminum septentrionalem promissum seu idealem referantur. Sec. *Num.* 34, 7–9 limes hic procurrebat : a mari Magno (Mediterraneo), per montem Hor (LXX : τὸ ὄρος τὸ ὄρος, legit ergo Har ; Vulg. : " mons altissimus „), ad " introitum Ḥamât „ cum Ṣedad (LXX : Σαράδα) [1], exinde per Zifrôn [2] ad Ḥaṣar 'Ênân. — Sec. *Ezech.* 47, 15–18: a mari Magno versus Ḥetlôn (Vulg. Hethalon), ubi itur " ad Ḥamât (Vulg. Emath), ad Ṣedad, ad Berotha „ (sec. LXX), ad Sibraim (Vulg. Sabarim), quod est inter regionem Damasci et regionem Ḥamât, dein ad Ḥaṣar 'Ênôn (ita egendum c. LXX, loco חצר התיכון, [Vulg. : domus Tichon]), quod ad fines Ḥaurâni iacet ; aliis verbis a mari usque ad Ḥaṣar 'Ênôn, ita ut regio Damasci sit potius ad septentrionem limitis israëlitici sita. — Uterque textus simul constituet hosce fines : mare Magnum (Num. Ez.), Ḥetlôn (Ez.), mons Hor (Num.), introitus Ḥamât cum

[1] Alii codd. : σαραδαδ, σαραδακ, σαρδαχ, σαδαδακ, σαδαδα, σαδδακ, σαδακ, σασαδακ ; — *Sa'îdica:* Sadarac. ; — *Boḥairica:* Αραδακ — *Armenus* : Aradach ; — *Latinus*r [octateuchus Lugdunensis editus a Robert]: Aradath ; etc.

[2] LXX : Δεφρώνα, alii codd. ἔφρωνα, ζεφρονα, ζεβρωνα — Boḥair. et Latini : σεφρωνα.

Ṣedad (Num. Ez.), Berotha (Ez.), Zifrôn (Num.) = Sibraim (Ez.), Ḥaṣar ʿÊnân [-ôn] (Num. Ez.), quod est circa fines Ḥaurâni et Damasci (Ez.).

Cum hic plura sint ignota vel incerta (1), alio modo enodatio quaestionis tentanda est. — *a*) Dt. 11, 27 et Ios. 1, 4; 14, 5. 6 commemoratur ***Libanus*** ut limes septentrionalis promissus; hinc et ille mons Hor (LXX et Vulg. " mons altissimus „) Num. 34 est probabiliter Libanus. — *b*) Terminus technicus *introitus Ḥamât* (Emath) saepissime occurrit in Script. (vg. Ios. 13, 5; Num. 13, 22; Iud. 3, 3; 3 Reg. 8, 55; 4 Reg. 14, 15; Ez. 48, 1; Am. 6, 14; 1 Par. 13, 5; 2 Par. 7, 8; etc.). Sec. Num. 13, 22 introitus Ḥamât quaeri debet in regione Reḥôb (Vulg. Rohob); planities autem Reḥôb (= Bêt Reḥôb) comprehendit (sec. Iud. 18, 28) etiam urbem Laiš-Dan. Etiam Baʿal Gad, (de quo infra), situs ad radices Ḥermônis, est circa regionem " introitus Ḥamât „ et Libani (sec. Ios. 13, 5), est in valle Libani (Ios. 11, 17), est in monte Libani (Ios. 12, 7). Haec omnia ducunt nos in regionem fontium Iordanis. Quia vero regio ʿIyyôn (Vulg. Ahion, Aion = Merǧ ʿAyûn) spectabat adhuc ad Israëlitas (3 Reg. 15, 20; 2 Par. 16, 4; 4 Reg. 15, 29), — hinc introitus Ḥamât versus septentrionem a Merǧ ʿAyûn quaeri debet; forte circa el-Ǧedeide, ubi aliquod (ignotum nobis) Ḥamât esse potuit (sic Boehmer), vel ubi " incipiebat iter versus Ḥamât „ (= introitus Emath). Nam de ipsa urbe Ḥamâ ad Orontem sermo vix esse potest, cum ab hoc loco (i. e.

(1) Probabiles vere videntur aequationes Van Kasteren (l. c.) ut: *Ṣedad* = *Ṣerad* = *H. Serâdâ*, ad septentr. de Âbîl (et ad orientem de Dêr Mîmâs); *Zifrôn* = *Sibraim* = *H. es-Sanbariyye* (ad Nahr el-Ḥâṣbânî), versus meridiem de H. Serâdâ et SW. de Tell el-Ḳâḍî.

ab el-Ğedeide) versus septentr. c. 250 km distet; — ibi fines Palaestinae quaerere alii loci Scripturae fere paralleli nos non sinunt (cf. Van Kasteren l. c.). Sic igitur omnia ducunt nos ad meridionales radices Libani et Ḥermônis et in regionem fontium Iordanis. — Proinde etiam locus Ṣedad (de quo sermo Num. 34, 8) non idem esse putandus est atque Ṣadad (SES de Ḥomṣ), sed potius legendum est Ṣerad (cum LXX et Sam.), qui locus re ipsa exsistit tq. Ḥ. Serâdâ (in SW Ḥermônis et ad septentrionem Âbîl).

β) Sic explicatus limes septentrionalis promissus satis bene congruit cum termino revera possesso ab Israëlitis. Iam Iosue (11, 17) subiugat totam terram a monte (Ḥâlâḳ [= Ğ. Ḥâlâḳ], Vulg. "pars„ montis), qui est circa Śe'îr (in meridie) usque ad Ba'al Gad (Bâniyâs?) *in valle Libani*, subter montem Ḥermôn. — Ios. 12, 7 dicuntur devicti reges chananaei a Ba'al Gad *in monte Libani*, usque ad montem Śe'îr. Similia occurrunt temporibus Regum.

Salomon ad dedicationem templi congregat Israëlitas "*ab introitu Ḥamât*„ usque ad Torrentem Aegypti (3 Reg. 8, 65). — Ioab, missus a Davide ad censum Israëlis habendum, percurrit primum regionem transiordanicam; dein venit in *Dan*, in regionem *Ṣîdônis* et regreditur versus meridiem. Ergo introitus Ḥamât, Dan, viciniae Ṣîdônis, erant in regia potestate et ab Israëlitis incolebantur. — Id denique confirmatur formula geographica: "*a Dan usque Be'êršeba'*„ (Vulg. Bersabee; 1 Sam. 3, 20; 2 Sam. 3, 10; 17, 11; 24, 2. 15; 3 Reg. 5, 5; Iud. 20, 1), qua breviter tota Israëlis possessio designari solet, praecipue tempore Regum, et quae non caret pondere historico ac

obiectivo atque expressioni: *Israël et Iuda* (2 Sam. 3, 10) perfecte respondet. Tempore posteriore, quo solum regnum Iuda politice independens fuit, occurrunt potius phrases: *Iuda et Israël*, convenientes cum hac sententia: " *a Be'êršeba'* *usque Dan* „ (2 Par. 30, 5; ex eo tempore quo Ezechias regnavit). Dan et Be'êršeba' electae sunt tq. termini technici, tum quia reipsa erant prope politicos fines (septentr. et merid.) Palaestinae, tum praecipue quia erant maioris momenti historici et religiosi. (De Be'êršeba' cf. Gen. 21, 30 ss.; 26, 32–45; 46, 1; 1 Sam. 8, 1; — de Dan cf. Iud. 18, 30. 31; 3 Reg. 12, 29; 4 Reg. 10, 29; Am. 8, 14).

Ex hisce omnibus cum maxima probabilitate deduci potest, expressiones geographicas: mons Libani, introitus Ḥamât, Ḥermôn, Dan, Ba'al Gad, — cum agitur de limite septentrionali " Terrae promissae et possessae „ ab Israëlitis, — esse aequivalentes. Practice ergo tq. limes septentrionalis considerari potest: Nahr el-Ḳâsimiyye (ab ostio ad viciniam el-Ġedeide); dein linea sinuosa circa meridionales radices montis Ḥermôn, perducta usque Ḥaṣar 'Ênân (= el-Ḥaḍr ?), via ducente ad regiones Damasci et Ḥaurâni.

§ 42. — B) ***Limites amplissimi***

Considerandi hic veniunt 5 (vel 6) Scripturae loci, qui multo ampliores terminos " Terrae Promissionis „ statuunt. Sunt vero Gen. 15, 18–21; Ex. 23, 31; Dt. 1, 7; 11, 24; Ios. 14, 1 [et Gen. 10, (15–18). 19, sec. text. Samarit. (1)], quibus progeniei Abraham promittitur Kana'an,

(1) Sec. textum massoret.: " Et fines Chananaei a Ṣîdône in directione Gerarae usque ad Gazze, et ad Sodoma et Gomorra [et Admâ et Ṣeboîm] usque ad Laša' „. Si Laša' = Lêšem = Laiš = Dan, tunc textus massoreticus perfecte, per angulos, determinaret Kana'an sensu recepto prae-

cuius limes versus NE " usque ad flumen magnum Euphratem „ extenditur. — Hisce ergo textibus terra Kana'an ita late sumitur, sicut mât Amurri in inscriptionibus cuneatis. Hoc a Scriptura ideo recte fieri potest, quia (sec. Gen. 10) Ḥethaei, qui septentr. illas regiones occupabant, procedunt a Kana'an, adeoque latiore sensu sunt Cana'anitae, et terra eorum latiore sensu Kana'an appellari potest.

Promissio divina, ad has amplissimas regiones se extendens, respiciebat non tantum territoria ab Israëlitis directe inhabitata, quorum limites praecisos consideravimus, sed etiam regiones, dominio Israëlis futuro tempore (saltem aliquamdiu) subiiciendas indirecte, i. e. factas tributarias. Hoc accidit sub Davide et Salomone (hebr. 1 Reg. 5, 4; [Vulg. 3 Reg. 4, 24]: " ipse enim (Salomon) dominabatur omnem regionem trans flumen (Euphratem) a Tifsaḥ (Vulg. Thaphsa) usque ad Ġazza (1) et cunctos *reges* regionum illarum „ — En sermo de dominio indirecto de terris tributariis, de Terra Promissionis sensu latissimo. In versu vero sequenti (5) additur: " Habitabatque *Iuda et Israël* (= populus hebraicus) absque timore ullo ..... *a Dan usque Be'êršeba'* cunctis diebus Salomonis „. — En territorium directe ab Israëlitis occupatum.

ciso, et pertineret ad IIam seriem textuum, qui limites praecisos assignant. — Sed sec. textum Samaritanum: " Et fines Chananaei a flumine Aegypti usque ad flumen magnum, flumen Euphratem et usque ad mare Posterius „ (= Occident., Mediterr.). Hic textus, si est rectus, concordat cum 5 aliis enumeratis supra, et spectat tunc ad IIam seriem textuum, qui dant limites ampliores.

(1) Verba " trans flumen a Tifsaḥ usque ad Ġazza „ — desunt in LXX — forte ergo critice non sunt certa. Tifsaḥ, hodie = *Ṯedêyên* [sec. alios *Dibse* (??)] ad Euphratem, ubi inveniuntur ruinae antiquae urbis Thapsacus (= Tifsaḥ).

CAPUT VIII

Palaestinae divisio inter Tribus Israëlis temporibus Iudicum et Regum

Bibliographia : *a*) Commentarii in librum Iosue, vg.: Steuernagel, 1900 p. 199-235; ed. altera ex a. 1923; — H. Holzinger, *Das Buch Josua*, 1901; — De Hummelauer, 1903 p. 275-464; — W. Schenz, *Das Buch Josua*, 1914; — ex antiquioribus Dillmann, 1886, Oettli, 1893 etc. — *b*) Dissertationes in encyclopaediis ut vg. A. Legendre in Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible:* I, 1084-1089 (Aser); 1589-1599 (Beniamin); II, 1232-1240 (Dan); 1874-1879 (Ephraim); III, 27-32 (Gad); 1006-1010 (Issachar); 1756-1771 (Iuda); IV, 200-213 (Lévi); 216-221 (villes Lévitiques); 644-651 (Manasse); 1593-1597 (Nephthali); V, 1258-1262 (Ruben); 1732-1736 (Siméon); 2510-2513 (Zabulon) — Hagen, *Lexicon biblicum*, eaedem dissertationes; — Cheyne, *Encyclopaedia biblica*, (idem); — Guthe, *Kurzes Bibelwörterbuch*, (idem); — Fr. Buhl, *Geographie des alten Palästina*, p. 75-80; — G. Armstrong, *Names and Places in the Old and New Testament*,[3] 1908 — *c*) Mappae geograph., continenter consulendae, habentur ad latus dissertationum Legendre, in *Dictionnaire de la Bible*, edito a Vigouroux; — I. G. Bartholomew, *Topographical and Physical Map of Palestine*; — optima vero grandis charta *" Old and New Testament Map of Western Palestine „*, in 20 Sheets edita a PEF., ubi fines tribuum coloribus distinguuntur.

I) *Quaestionis fontes eiusque difficultas*

§ 43. Divisio vel potius assignatio terrae Kana'an tribubus Israëlis, a Iosue facta, ex parte semper idealis mansit, nam ob varias rationes singulae tribus fere nunquam stabile dominium territoriorum ipsis assignatorum

obtinuerunt. Nihilominus tamen, re in universum spectata, divisio haec satis bene votis ac statui Israëlis sub Iudicibus et Regibus respondebat, cum singulae tribus in multis negotiis ab invicem minime dependebant, in non paucis autonomae erant. Cum praeterea haec divisio tribualis multarum institutionum vitae privatae et publicae Israëlis basis fuerit, et topographiae V.T. sit fons principalis maximique momenti, ideo eam breviter discutere hic omnino oportet.

Fons quaestionis est fere unice S. Scriptura, quae vel eam quaestionem solum tangit (vg. Gen. 49; Dt. 33; Iud. 5), vel consulto tractat *Num. 32; Ios. 13–21*. Hi duo fontes inter se continenter comparari debent, quia non semper eadem ubique afferuntur. Praeterea Textus S. est saepe mancus, nec satis clarus; versiones autem et codices in nominibus saepe discordant; multorum locorum identitas hucusque probari non potuit; — hinc certitudo in multis rebus, quae infra dicentur, raro haberi potest. De hac re necessario lector praemonendus videtur.

Ios. 13–21 haec exhibentur: 1) Terra Kana'an ex parte ac imperfecte occupata (cc. 1–12), Iosue ad designationem territorii (tum expugnati, tum nondum expugnati) sese accingit; — speciatim c. 13 confirmat tribubus Ruben, Gad et dimidiae Manasse possessiones in terra transiordanica (Num. 32) datas, cum conditionem statutam adimplevissent. — 2) In Galgala Iosue alteram distributionem aggreditur, quae refertur ad tribus Iuda et Ephraim et ad alteram dimidiam partem Manasse (Ios. cc. 14–17). — 3) Reliquis septem tribubus in conventu Siluntino sorte territoria distribuit, tum in Galilaea (Aser, Nephthali, Zabulon, Issachar), tum intra fines tri-

buum Ephraim et Iuda collocando tribus Dan, Beniamin et Simeon (Ios. cc. 18–19). — 4) Hisce peractis designat 6 urbes fugitivorum (20, 1–9) et 48 urbes Levitarum (21, 1–43).

II) *Delimitatio tribuum Israëlis.*

N. B. — Perspicuitatis causa topographico-geographicus rei ordo praeferendus videtur. Primum regio cisiordanica (a meridie versus septentr.); dein transiordanica illustrabitur. Sufficiet territoriorum limites assignare et urbes atque oppida maioris momenti (sive topographici sive historici) afferre, quorum nomina, ob lectiones Vulgatae multo discrepantes a LXX et TM et propter maiorem cum arabicis quae nunc sunt, similitudinem, in forma hebraica proferentur, ita tamen ut in catalogo urbium discrepantiae Vulgatae et Septuaginta (LXX) non neglegantur. Iuvabit notare formam graecam (ordinarie secundo loco inferius tradendam) deberi ut plurimum codici Alexandrino, qui in nominibus fidei hebraicae magis appropinquat quam Vaticanus (1° loco afferendus).

A) — *In Cisiordanica regione.*

§ 44. — **Tribus Iuda** (Ios. 15).

a) Limites — α) initio assignati: *a meridie* iidem sunt cum limite meridionali " Terrae Promissae „ (cf. pp. 115–118), ac proinde: procursus maris Mortui, regio merid. de ʿAḳrabbîm (Vulg. Ascensus Scorpionis), Thamar, Ṣin, regio meridionalis de Ḳadeš (Vulg. Cadesbarne), Ḥaṣar = Ḥeṣrôn, Addar, Ḳarḳaʿ, ʿAṣmôn, Torrens Aegypti, mare Magnum. — *Ab occidente:* mare Mediterraneum a Torrente Aegypti usque ad Yabne'el (= Yebnâ), seu practice ad ostium Nahr Rubîn. — *Ab oriente:* mare Mortuum a meridionali procursu usque ad ostium Iordanis, quod tunc magis versus N (usque ad el-Ḥenu?) protendebatur. — *A septentrione:* linea ab ostio Iordanis per Bêt Ḥoglâ (= Ḳaṣr Ḥaǧle, Vulg. Beth

Hagla), Bêt ha-'Araba (Vulg. Betharaba), lapis Bohan (Vulg. Boen), Debîr (Vulg. Debera), per vallem 'Akôr (= W. el-Ḳelt ?, Vulg. Achor), Gilgal (Vulg. Galgala), gradus Adummîm (= Ṭel'at ed-Dâm, Vulg. Ascensio Adommim), fontem 'Ên Šemeš (= 'Ain el-Ḥôḍ, Vulg. Fons Solis), ad fontem Rôgel (= Bîr Eyyûb) procurrens; dein circumeundo a meridie urbem Ierusalem per vallem Gê-Hinnôm (= W. er-Rabâbi, Vulg. convallis filii Ennom; Geennom) pergit per montes ad aquas Neftôaḥ (= 'Ain Liftâ, Vulg. Nephtoa), per vicos montis 'Efrôn (Vulg. Ephron) et ad Ḳiryat Ye'ârîm (= Ḳaryet el-'Ineb, Vulg. Cariathiarim) pervenit. Exinde limes tendit per Kesâlôn (= Keslâ, Vulg. Cheslon), Bêt Šemeš (= 'Ain Šems, Vulg. Bethsames), Timnâ (= Tibne, Vulg. Thamna), 'Eḳrôn (Vulg. Accaron), Yabne'el (= Yebnâ, Vulg. Iebneel) ad Mediterraneum (prope ostium Nahr Rubîn).

β) Limites posteriores. Territorii sic determinati: 1) fere tota planities Šefelâ (ab occidente) et ora maris Mediterranei non est expugnata; praeterea pars NW est Danitis data; adeoque limes occidentalis (mare Mediterr.) fuit potius idealis, quam realis. — 2) A meridie magna terrae pars data est postmodum (Ios. 15, 1–7) tribui Simeon (cf. infra § 45).

b) Oppida, assignata tribui Iuda, fuerunt initio numero 134; deductis 18 (?), quae tribui Simeon sunt relicta, et iis quae Danitae ac Philisthaei possidebant, tribui Iuda manserunt ad summum c. 80 oppida. — Praecipua fuerunt:

α) in Negeb:

'Ad'âdâ (LXX: Ἀδαδά, Ἀρουήλ = el-'Ad'ada) (1).

(1) sec. nonnulos legendum 'Ar'ârâ (et tunc esset = 'Arâ'ir).

Ḳedeš (LXX: Καδής, Κέδες, Vulg. Cades = ʿAin Ḳedeis). [reliqua Simeonitis data v. inferius, pag. 129].

β) in Šefelâ:

Zânôaḥ (LXX: Ταινώ, Ζανώ, Vulg. Zanoe = Ḥ. Zanûʿa).

ʿAdullâm (LXX: Ὀδολλάμ, Ὀδολλά, Vulg. Adullam, Odullam, Odollam = Ḥ. ʿId el-Miyye ?).

Sôkô (LXX: Σαωχώ, Σωχώ, Vulg. Socho = Ḥ. Šuweike).

ʿAzêḳâ (LXX: Ἰαζηκά, Ἀζηκά, = Tell Zakâriyyâ ?, Dêr el-ʿÂšiḳ ?).

ham-Miṣpe (LXX: Μασφά, Vulg. Masepha = Tell eṣ-Ṣâfiye).

Lâkîš (LXX: Μαχής, Λαχείς, Vulg. Lachis = Tell el-Ḥesî, ed-Dawâ'ime ?).

ʿEglôn (LXX ?, Vulg. Eglon = Tell en-Neğîle ?, Ḥ. ʿAğlân ?).

Ḳeʿîlâ (LXX: Κεειλάμ, Κεειλά, Vulg. Ceila = H. Ḳîlâ).

Marêšâ (LXX: Βαθησάρ, Μαρησά, Vulg. Maresa = Tell Sandaḥanna ?, Ḥ. Merʿâš ?).

Gat (= Ḍikrîn ?, vid. p. 112).

Aśdôd (LXX: Ἀσηδώθ, Ἀσειεδώθ, Ἄζωτος, Vulg. Azotus = Esdûd).

Ġazza (LXX: Γάζα, Vulg. Gaza = Ġazze).

γ) in montanis Iuda:

Ḳiryat Sannâ [-Sefer] (LXX: Δαβείρ, Vulg. Cariathsenna h. e. Dabir = Debîr = eḍ-Ḍâhariyye).

Eštemô (LXX: Ἐσκαιμάν, Ἐσθεμώ, Vulg. Istemo et Esthemo = es-Semûʿa).

Ḥebrôn = Ḳiryat Arbaʿ (LXX: πόλις Ἀρβόκ, αὕτη ἐστὶ Χεβρών, Vulg. Cariatharbe = el-Ḫalîl).

Mâʿôn (LXX: Μαώρ, Μαών, Vulg. Maon = Ḥ. Mâʿîn).

Karmel (LXX: Χερμέλ, Vulg. Carmel = el-Kurmul).

Zîf (LXX: Ὀζείβ, Ζίφ, Vulg. Ziph = Tell Zîf).

Yûṭâ (LXX : Ἰτάν, Ἰεττά, Vulg. Iota, Ieta = Yuṭṭâ).
Ḥalḥûl (LXX : Ἀλουά, Ἀλούλ, Vulg. Halhul = Ḥalḥûl).
Bêt Ṣûr (LXX : Βαιθσούρ, Βεθσούρ, Vulg. Bessur, Bethsur = Beit Ṣûr).
Teḳôa' (LXX : Θεκώ, Θεκουέ, Vulg. Theco = Ḥ. Teḳû'a).
Efrat = Bêt Leḥem (LXX : Ἐφράθα, αὕτη ἐστὶν Βαιθλέεμ, Vulg. Ephrata = Beit Laḥm).
'Êṭâm (LXX : Αἰτάν, Αἰτάμ, Ἠτάμ ; Vulg. Aitan = 'Ain 'Aṭân).
Ḳulôn (LXX : Κουλόν, Vulg. Culon = Ḳolôniye ?).
Sârîs (LXX : Ἐωβής, Σωρής, Vulg. Sores = Sârîs).
Karem (LXX : Καρέμ, Vulg. Carem = 'Ain Ḳârim).
Baitter (LXX : Θεθήρ, Βαιθήρ, Vulg. Bether = Bittîr).
Ḳiryat Ba'al [-Ye'ârîm] (LXX : Καριαθβάαλ, αὕτη ἡ πόλις Ἰαρείμ, Vulg. Cariathbaal haec est Cariathiarim = Ḳaryet el-'Ineb).

δ) in deserto Iuda :

'Ên-Gedî (LXX : Ἀνκάδης, Ἠνγαδδί, Vulg. Engaddi = 'Ain Ǧidî) etc.

§ 45. — **Tribus Simeon**

(Ios. 19, 1-9 ; cf. 1 Par. 4, 28-33) partem australem nominalis territorii Iuda in Negeb occupavit.

a) Limites tribus Simeon in Scriptura non constituuntur ; probabiliter non fuerunt sufficienter determinati, sed Simeonitae instar coloniarum dispersarum in 18 (?) oppidis, ipsis assignatis, habitarunt. Extrema oppida ipsis *in septentrione* assignata, permittunt, ut restituamus hypotheticum limitem in septentrionali plaga : vd. lineam fere rectam de Ġazze usque ad ez-Zuweira et-Taḥtâ (prope ostium W. el-Ǧerâbi).

b) Oppida magis praecipua fuerunt:

Be'ēršeba' (LXX: Βηρσάβεε, Βηρσάβεθ, Vulg. Bersabee = Bîr es-Seba').

Môlâdâ (LXX: Μωλαδά, Μωδαδά, Vulg. Molada = el-Ḳûsêfe, Ḫ. el-Milḥ ?).

Ḥormâ (LXX: Ἑρμά, Ἑρμάλ, Vulg. Harma, Horma, Herma = es-Sbeiṭa ?).

Ṣiḳlag (LXX: Σεκελάκ, Σικελέγ, Vulg. Siceleg = Ḫ. Zuḥeilîḳa ?).

'Ên Rimmôn (LXX: Ἐρωμώθ, Ῥεμμών, Vulg. Remmon = Ḫ. Umm er-Ramâmîn).

'Ašân (LXX: Ἀσάν, Vulg. Asan = Ḫ. 'Asan) etc.

§ 46. — **Tribus Beniamin** (Ios. 18, 11–28)

a) Ut limites eius designari possint accurate, considerari debent non solum Ios. 18, 12–20, sed etiam Ios. 16, 1–5; praeterea Ios. 18, 21–28, ubi catalogus urbium Beniamin texitur. Hisce omnibus simul comparatis, hi limites fere statui possunt. *A meridie:* pars limitis septentr. Iuda: vd. a Iordanis ostio — per Bêt Ḥoglâ (Ḳaṣr Ḥaġle) per ascensum Adummîm (= Ṭel'at ed-Dâm), 'Ên Šemeš (= 'Ain el-Ḥôḍ), 'Ên Rôgel (= Bîr Eyyûb), Gê-Hinnôm (= Wâdi er-Rabâbi) per aquas Neftôah (= 'Ain Liftâ) — ad Ḳiryat Ye'ârîm (= Ḳaryet el-'Ineb) transiens. — *Ab occidente:* linea curva de Ḳiryat Ye'ârîm per 'Aṭarôt-Addâr (= Ḫ. ed-Dâriye), inter utrumque Bêt Ḥôrôn (Vulg. Beth-horon = Beit 'Ûr et-Taḥtâ, el-Fôḳâ) currens versus Yirpe'êl (Vulg. Iarephel = Râfât) et 'Aṭarôt (= 'Atâre), est limes. Exinde inter Be'êrôt (Vulg. Beroth = el-Bîre) et ha-'Arkî (Vulg. Archi = 'Ain 'Arîk) limes tendebat ad occidentem de Bêt'êl (= Beitîn) et de 'Ofnî (Vulg. Ophni

= Ğifnâ). — *A septentrione:* Linea de 'Ofnî (= Ğifnâ) per Ba'al Ḥaṣôr (= Tell 'Aṣûr), circa 'Ofrâ (Vulg. Ophera = eṭ-Ṭayyibe), per desertum Bêt-Awen (Vulg. Bethaven = SE de 'Ofrâ), ad Ṣemâraim (Vulg. Samaraim = H. es-Samrâ?) perveniebat. — *Ab oriente:* linea currebat de Ṣemâraim versus meridiem in vicinia Yerîḥô et fontium eius, ut in W. Nu'eime et Iordane exitum haberet.

b) Urbes tribus 26 nominantur (Ios. 18, 21–28). Magis praecipuae fuerunt:

Yerîḥô (LXX: Ἰεριχώ, Ἰερειχώ, Vulg. Iericho = ad 'Ain es-Sulṭân, ex parte Erîḥâ).

Bêt Ḥoglâ (LXX: Βαιθαγλαίμ, Βεθεγλαώ, Vulg. Bethagla = Ḳaṣr Ḥağle).

Ṣemâraim (LXX: Σαρά, Σαμρίμ, Vulg. Samaraim = H. es-Samrâ?).

'Ofrâ (LXX: Ἐφραθά, Γοφερά, Vulg. Ophera = eṭ-Ṭayyibe).

'Ofnî (LXX: deest; Vulg. Ophni = Ğifnâ).

Bêt'êl (LXX: Βησανά, Βαιθήλ, Vulg. Bethel = Lûz = Beitîn), quod tamen oppidum videtur habuisse incolas de Ephraim (1 Par. 7, 28).

Be'êrôt (LXX: Βηρωθά, Βηρώθ, Vulg. Beroth = el Bîre).

Yirpe'êl (LXX: ?, Vulg. Iarephel = Râfât).

Bêt Ḥôrôn superior (LXX: Βαιθωρών, = Beit 'Ûr el-Fôḳâ).

Gibe'ôn (LXX: Γαβαών, Vulg. Gabaon = el-Ğîb)

ha-Râmâ (LXX: Ῥαμά, Vulg. Rama = er-Râm).

Geba' Beniamin (LXX: Γαβαά, Vulg. Gabee = Ğeba', Tell el-Fûl?).

Gib'â Saulis (LXX: Γαβαώθ, Vulg. Gabaath = Tell el-Fûl?, Ḥ. es-Sikke?).

ham Miṣpe (LXX: Μασσηφά, Μασσηφά, Μασσηράθ, Μασφά, Vulg. Mesphe, Maspha = en-Nebi Samwîl, Ša'fâṭ ?, Tell en-Naṣbe ?).

hap-Pârâ (LXX: Φαρά, Vulg. Aphara = Ḥ. Fârâ).

Yebûs-[Ṣiyyôn] = Ierusalem, — et praeterea nota aliunde :

Mikmas (LXX: Μαχμάς, Μαχεμάς, Vulg. Machmas = Muḫmâs), et

'Anâtôt (LXX: Ἀναθώθ, Vulg. Anatoth = 'Anâtâ).

§ 47. — Tribui Dan

(Ios. 19, 40–48) sorte assignatum est territorium, ad septentrionem tribus Iuda et occidentem Beniamin situm.

a) Limites *meridionales* tribus ibant de Ḳiryat Ye'ârîm per Eštaôl (= Ašuwa') ad Bêt Šemeš (= 'Ain Šems), et exinde per Timnâ (= Ḥ. Tibne), Yabne'êl (= Yebnâ) ad mare Mediterraneum (prope Nahr Rûbîn ?). Exinde littus maritimum usque ad ha-Raḳḳôn (Vulg. Arecon = Tell er-Reḳḳeit). Ab hoc oppido limes tendebat lineâ curvata versus Ḳiryat Ye'ârîm per loca Gibbetôn (= Ḳibbiyye ?), Ba'alat (Vulg. Balaath = Bal'în), 'Aṭarôt-'Addâr (Ḥ. ed-Dâriye).

b) Urbes 18, huic tribui assignatae, ex parte demptae sunt tribui Iuda ac Ephraim ; magis praecipuae fuerunt :

Eštaôl (LXX: Ἀσά, Ἐσθαόλ, Ἀσταώλ, Vulg. Esthaol = Ašuwa').

Ṣor'â (LXX: Σαράθ, Σαραά, Vulg. Sarea = Ṣar'a).

'Îr Šemeš (LXX: Πόλεις Σάμμαυς, Πόλις Σαμές, Vulg. Hirsemes i. e. civitas solis = Bêt Šemeš [?] = 'Ain Šems).

Ayyalôn (LXX: Ἀμμών, Ἰααλών, Αἰλών, Ἰαλών, Ἠλών, Vulg. Aialon, Helon = Yâlô).

Timnâ (LXX: [illegible], [illegible]; Vulg. Thamna, Thamnatha) = Tibneh

'Ekrôn (LXX: [illegible], Vulg. Accaron = 'Âķir)

Eltekê (LXX: [illegible], [illegible], Vulg. Eltheco = Bêt Lukyâ ?)

Gibbetôn (LXX: [illegible], [illegible], Vulg. Gebbethon, Gabathon = Kibbiyye ?)

Mê hay-Yarkôn (LXX: [illegible] [illegible], Vulg. Meiarcon, Arecon = Nahr el-'Aujâ ?)

Yâfô (LXX: Ἰόππη, Vulg. Joppe = Yâfâ)

Praeterea in territorio danitico sita erant:

Gezer (LXX: [illegible], [illegible], [illegible], Vulg. Gazer = Tell Gezer, in qua posterius habitarunt (?) Ephraimitae (I Par. 7, 28)

[illegible] (LXX: [illegible], [illegible], Vulg. [illegible])

Lôd (LXX: Λύδδα, Vulg. Lydda = Ludd)

Gimzô (LXX: [illegible], [illegible], Vulg. Gamzo = Ğimzû)

'Onô (LXX: [illegible], [illegible], [illegible], Vulg. Ono = Kefr 'Anâ)

Terra Danitarum, licet assignata, maxima ex parte non fuit expugnata. Temporibus Iudicum Amorrhaei Danitas e planitie in montes expulerunt (Iud. 1, 34). Hinc 600 familiae Danitarum in septentrionalem Palaestinam emigrarunt, atque urbem Lesem-Laiš expugnatam nomine Dan (Tell el-Kâdi) appellarunt (Ios. 19, 47). Ezechiel Danitas solum in septentrionali plaga Palaestinae commemorat (Ez. 27, 19).

§ 48. — Tribui Ephraim

pars media Palaestinae, ad septentrionem Beniamin et Dan posita, obvenit.

a) Limites tribus describuntur Ios. 16, 1–8 et 17, 7–10, sed valde obscure; praeterea textus est mancus; pars SW. assignata territorii data est postea Danitis, insuper catalogus urbium deest. — Limes *meridionalis:* a Iordane (Ḫ. Nu'eime) usque ad ha-Raḳḳôn (prope mare Mediterraneum) idem ac Beniamin et Dan septentrionalis (vide supra §§ 46. 47). — Limes *septentrionalis* habet haec puncta nota: Ta'nat-Šîlô (= Ta'nâ), Mikmetat (Vulg. Machmethath, ad orientem oppidi Nâbulus sitam = planities el-Maḫna [?]), 'Ên Tappûaḥ (= prope Yâsûf [?], S. de Nâbulus), Pir'atôn (= Far'atâ), et torrens Ḳânâ (Vallis Arundineti = aut W. Ḳânâ, aut potius Nahr el-Fâliḳ). — Limes *occidentalis* idealis fuit mare (Ios. 16, 3; 17, 9) Mediterraneum, et quidem initio certo; postea [in hypothesi Ḳânâ = W. Kâná] haec ora maritima videtur theoretice relicta Danitis; si vero Ḳânâ = Nahr el-Fâliḳ, tunc utique ora maris inter Tell er-Reḳḳeit et Nahr el-Fâliḳ est designata tq. limes. Tamen re ipsa, aetate Iudicum, non est expugnata. — Limes *orientalis* currebat ad orientem urbium: Ta'nat Šîlô (= Ta'nâ), Yanôaḥ (Vulg. Ianoe = Yânûn), 'Aṭarôt (= ?, forsan Tell et-Trûni, ad W. el-'Auǧe), Na'arâ (Vulg. Naaratha = en-Neǧme ?) et regio districtui Yeriḥô (a septentrione ac oriente) confinis cum parva parte Iordanis.

b) Urbes praecipuae fuerunt:

Šîlô (LXX: Σηλώ, Σηλώμ, Vulg. Silo = Seilûn).

Timnat Seraḥ (LXX: Θαμνασαράχ, Θαμναθαρές, Vulg. Thamnath Saraa, Thamnatsare [= Timnat Ḥeres, per metathesin, Ios. 19, 50; 24, 30; cf. Iud. 2, 9], = nunc sec. multos Tibne, sec. alios aut Kefr Hâris aut Ḫ. el-Faḫâḫir).

Yešânâ (LXX: ἡ Ἰεσυνά, Vulg. Iesana = ʿAin Sîniyâ ?, Burǧ el-Isâneh ?).

Baʿal Ḥaṣôr (LXX: Βελασώρ, Vulg. Baalhasor = Tell ʿAṣûr).

ha-ʾArkî (LXX: Ἀχαταρωθί, Vulg. Archi = ʿAin ʿArîk).

ʿAṭarôt-Addâr (LXX: Ἀταρώθ καὶ Ἐρώκ, Μααταρώβ, Ὀρέχ, Vulg. Ataroth Addar = Ḫ. ed-Dâriye).

Bêt Ḥorôn inferior (LXX: Βαιθωρών ἡ κάτω, Vulg. Bethoron = Beit ʿÛr et-Taḥtâ).

Gilgal (LXX: ἡ Γαλιλαία, Γελγεά, Vulg. Galgal = Ǧilǧûliye).

hag-Gilgal (LXX: Γαλγάλ, Γάλγαλα, Vulg. Galgala = Ǧilǧîlyâ ??; potius Ḫ. Ǧulêǧîl prope Sâlim).

Lebônâ (LXX: τῆς Λεβωνά, τοῦ Λιβανοῦ, Vulg. Lebona = el-Lubbân).

Pirʿatôn (LXX: Φαραθών, Φρααθών, Vulg. Parathon = Farʿatâ).

Taʾnat Šîlô (LXX: Θηνασὰ καὶ Σέλλης, Vulg. Thanathselo = Taʿnâ).

Yanôaḥ (LXX: Ἰανωκά, Ἰανώ, Μαχώ, Vulg. Ianoe = Yânûn). —

Praeterea Ephraimitae habebant *colonias*:

in tribu Beniamin: Bêtʾêl (LXX: Βαιθήλ, Βηθήλ, Vulg. Bethel = Beitîn);

in tribu Dan (1 Par. 7, 28): Gezer (?) (LXX: Γαζέρ, Γαδέρ, Γεζέρ, Vulg. Gazer = Tell Ǧezer);

et in tribu Manasse urbes:

Šekem, Ios. 21, 20 (LXX: Συχέμ, [τὰ] vel ἡ Σίκιμα, Vulg. Sichem = Balâṭa prope Nâbulus).

ʿAzza (LXX: Γάζη, Vulg. Aza = ?) ac

Tappûaḥ, Ios. 17, 8 (LXX: Ταφού, Ἐφφουέ, πηγὴ Θαφθώθ, Vulg. Fons Taphuae = ?); — urbis tamen Tappûaḥ vicinia iam ad Manasse pertinebant.

§ 49. — Tribus dimidia Manasse

Pars cisiordanica tribus Manasse ad septentrionem tribus Ephraim sita erat. Delimitatio valde incerta, tum ob s. Textus (Ios. 17, 7–11) obcuritatem, tum ob lacunas, quae in catalogo urbium reperiuntur.

a) Limites: *Meridionalis* concurrit cum termino septentrionali Ephraim (cf. supra § 48). *Septentrionalis* ex Ios. 17, 7. 10–13 cum Ios. 19, 17–26, reconstrui debet. Unum punctum limitis est in theoria certum, vdl.: Ašer (= Tayâṣîr ?) cfr. Ios. 17, 7. Quia vero inter meridionalia oppida, in territorio vicini Issachar sita, erant: Bêt Śemeś (Vulg. Bethsames = ʿAin eś-Šemsiyye), ha-Rabbît (Vulg. Rabboth = Râbâ), Yibleʿam (= Bîr Belʿame), ʿÊn Ḥaddâ (= Kefr Adân), Taʿanak (Vulg. Thenac = Taʿannuk), Ḳedeś-Ḳišyôn (Vulg. Cesion = Tell Abû Ḳedeis), Megiddo (Vulg. Mageddo = Tell el-Mutesellim), Ḥafâraim (= Ḥ. el-Fâriyye) et denique Dôr (= Ṭanṭûra) in tribu Aser, — ideo limes septentrionalis Manasse necessario ad meridiem harum urbium tendebat. Cum insuper Ios. 19, 26 tq. limes tribus Aser, post Carmelum ad mare, assignetur fluvius Šiḥôr Libnat ([Vulg. Sihor et Labanath], qui debet ad meridiem Dôr quaeri, nam Dôr erat adhuc in territorio Aser) — ideo probabiliter Crocodilon flumen (Nahr ez-Zerḳâ) erat limes meridionalis tribus Aser. Adeoque limes septentrionalis Manasse ibat a mari Mediterraneo prope fluvium Nahr ez-Zerḳâ versus NE usque Ḥafâraim et exinde regione SE infra urbes Megiddo,

Ta'anak, 'Ên Ḥaddâ, Yible'am, ha-Rabbît, Bêt Šemes tendebat et in Iordane (prob. ad W. el-Mâliḥ) terminabatur. — Limes *orientalis* erat Iordanes (a W. el-Mâliḥ usque ad W. el-'Auǧe ?). — Terminum *occidentalem*, (utique idealem), constituebat mare Mediterraneum a torrente Ḳânâ (= Nahr el-Fâliḳ ?), usque ad Šiḥôr Libnat (= Nahr ez-Zerḳâ).

b) Urbes tribus, ex parte posteriores, fuerunt :

Sichar (LXX : Συχάρ = el-'Askar).

Tirṣâ (LXX : Θαρσᾶ, Θερσᾶ, Θαρσεῖλα, Vulg. Thersa = Ṭallûza ?).

Tebeṣ (LXX : Θηβής, Vulg. Thebes = Ṭûbâs).

Ašer (LXX : Ἀσήρ, Vulg. Aser = Tayâṣîr ?).

Dotain (LXX : Δωθαείμ, Δωθαΐμ, Δωθαία, Vulg. Dothain, Dothan = Tell Dôṯân).

Betulua (LXX : Βετυλούα, Vulg. Bethulia = Miṯiliyye ?, el-Bârid ?).

Šomrôn (LXX : Σαμάρεια, Vulg. Samaria = Sebaṣṭiyye); — demum regio vicina urbi Tappûaḥ — (vide p. 135).

Ios. 17, 11–13 (hebr.) commemorantur insuper 6 (7 ?) urbes, de iure ad Manassitas pertinentes, quarum tamen Chananaeos incolas Manassitae initio non debellarunt nec eiecerunt, sed demum postea illis tributa imposuerunt. Fuerunt vero hae " cum viculis suis „. In tribu Aser :

Dô'r (LXX : Ναφεδώρ, Ναφεθδώρ, Φεναεδδώρ, Ἀδδώρ, Δῶρα, Vulg. Dor = Ṭanṭûra).

et in tribu Issachar :

Megiddo[n] (LXX : Μαγεδδώ, Μαγεδδών, Vulg. Mageddo = Tell el-Mutesellim).

Ta'anak (LXX : Θανάχ, Vulg. Thenac, Thanach = Ta'annuk).

Yible'am (LXX : Βαλάκ, Βααλάμ, Ἰεβλαάμ, Vulg. Ieblaam = Bîr Bel'ame).

Bêt Šeân (LXX : Βαιθσάν, Βηθσάν, Vulg. Bethsan = Beisân).

'Êndôr ? (LXX : Ἀελδώρ, Νηνδώρ, Ἀενδώρ, Vulg. Endor = 'Êndûr).

ac tres " Colles „ ? (Nafôt, LXX : Μαφετά, Vulg. tertia pars urbis Nopheth), unaquaeque cum pagis vicisque vicinis.

De territorio manassitico trans Iordanem vide, quae infra (§ 57) dicentur.

§ 50. — **Tribus Issachar**

Cum in Scriptura sufficiens descriptio limitum desit, videamus imprimis :

a) Urbes (Ios. 19, 17–23 ; 17, 11 ; 21, 28 ; Iud. 1, 27) :

Yizre'êl (LXX : Ἰαζήλ, Ἰεζραέλ, Vulg. Iezrael = Zer'în).

hak-Kesullôt = Kislot-Tâbôr (LXX : Χασαλώθ, Ἀχασελώθ, Vulg. Casaloth = Iksâl).

Šûnem (LXX : Σουνάν, Σουνάμ, Vulg. Sunem = Sôlem).

Ḥafâraim (LXX : Ἀγείν, Ἀφεραείμ, Vulg. Hapharaim = Ḥ. el-Fârriyye).

Ši'ôn (LXX : Σιωνά, Σειάν, Vulg. Seon = 'Ayûn eš-Ša'în ?, Sain ?).

Anâḥarât (LXX : Ἀναχαρέθ, Ἀῤῥανέθ, Vulg. Anaharath = en-Na'ûra ?).

ha-Rabbît (LXX : Δαβειρών, Ῥαββώθ, Vulg. Rabboth = Râbâ).

Ḳišyôn (LXX : Κεισών, Κεσιών, Vulg. Cesion = Tell Abû Ḳedeis ?).

Ebeṣ (LXX: Ῥέβες, Ἀεμέ, Vulg. Abes = Ḥ. ʿAbâ ?).
Remet (LXX: Ῥέμμας, Ῥαμάθ, Vulg. Rameth = ?).
ʿÊn-Gannîm (LXX: Ἰεὼν καὶ Τομμάν, Ἠγγανίμ = Ǧenîn).
ʿÊn-Ḥaddâʿ (LXX: Λίμαρέκ, Ἠναδδά, Vulg. Enhadda = Kefr ʾAdân ?).
Bêt Paṣṣeṣ (LXX: Βηρσαφής, Βαιθφασή, Vulg Bethpheses = ?).
Bêt Še'ân (LXX: Βαιθσάν, Βηθσάν, Vulg. Bethsan = Beisân).
Yible'am (LXX: Βαλάκ, Βααλάμ, Ἰεβλαάμ, Vulg. Ieblaam = Ḥ. Bel'ame).
ʿÊndôr (LXX: Ἀελδώρ, Νηνδώρ, Ἀενδώρ, Vulg. Endor = ʿÊndûr).
Ta'anak (LXX: Θανάχ, Vulg. Thenac, Thanach = Ta'annuk).
Megiddo (LXX: Μαγεδδώ, Μαγεδδών, Vulg. Mageddo = Tell el-Mutesellim).
Dâberat (LXX: Δεββά, Δεβρώθ, Vulg. Dabereth = Debûriye), — tandem
Naim (Ναΐν = Nain).

b) Limites. — *Meridionalis* concurrebat cum Manasse: de Iordane (W. el-Mâliḥ ?) usque Ḥafâraim (= Ḥ. el-Fâriyye). — *Septentrionalis* a Ḥafâraim lineâ satis contorta tendebat a meridie urbium: Dabbešet (= Ǧebâtâ ?), Marela (Ma'lûl ?) usque Śârîd (= Tell Šadûd). Inde limes transibat inter Yafîa' (= Yâfâ ?) et hak-Kesullôt (= Iksâl), circuibat Dâberat (= Debûriye) ab oriente, et Tâbôr (Vulg. Thabor = G. eṭ-Ṭôr) ab occidente ac meridie et cum W. eš-Šarrâr ac W. el-Bîre perveniebat ad Iordanem, qui (usque ad W. el-Mâliḥ ?) constituebat limitem tribus Issachar *ab oriente*. — Proinde Issachar totam fertilem planitiem Esdrelon, montes Gilbôʿa (Vulg. Gelboe

= C. Fuḳû'a) et colles ad meridiem Tâbôris possidebat; adeoque in possessione mercatoriae "viae maris„ erat, ex qua non parvos proventus habuit (Cf. Deut. 33, 18. 19).

§ 51. — **Tribus Aser**

sita erat ad littus maritimum Galilaeae. Eius districtus Ios. 19, 24–31 interrupte describitur. Ideo iuvabit primum cognoscere catalogum:

a) Urbium (Ios. 19, 24–31; Iud. 1, 31–32), a meridie versus septentrionem:

Šiḥôr Libnat (LXX: Σειὼν καὶ Λαβανάθ, Vulg. Sihor et Labanath = Nahr ez-Zerḳâ).

Dôr (LXX: Ναφεδώρ, Ναφεθδώρ, Φεναεδδώρ, Ἀδδώρ, Vulg. Dor = Ṭanṭûra; Ios 17, 11).

Miš'al (LXX: Μαασά, Μαασάλ, Vulg. Messal, Masal = Misalli? circa 'Aṯlît).

'Am'âd (LXX: Ἀμιήλ, Vulg. Amaad = Umm el-'Amed).

'Alammelek (LXX: Ἐλιμελέχ, Vulg. Elmelech = W. el-Malek?).

Gê Yiftaḥ'êl (LXX: Γαὶ καὶ Φθαιήλ, Vulg. vallis Iephthael = Sahl el-Baṭṭôf, W. 'Abellîn?).

Zebûlûn (LXX: Ζαβουλών, Vulg. Zabulon = 'Abellîn).

Kâbûl (LXX: Χωβαμασομέλ, Χαβώλ, Vulg. Cabul = Kâbûl).

Neġi'êl (LXX: Ἰναήλ, Ἀνιήλ, Vulg. Nehiel = Ḫ. Yânîn?).

'Ebrôn-'Abdôn (LXX: Ἐλβών, Ἀβδών, Vulg. Abran = Ḫ. 'Abde? Berwe?).

'Akkô (LXX: Ἀχχώ posterius Πτολεμαΐς, Vulg. Accho = 'Akkâ).

Ḥelḳat (LXX: Ἐλεκέθ, Χελκάθ, Vulg. Halcath = Yerkâ?).

Beṭen (LXX; Βαιθόκ, Βατνέ, Vulg. Beten = el-Bâne).

Bêt ha-'Emeḳ (LXX: Βαιθμέ, Vulg. Bethemec = 'Amḳâ).

Ḥalî (LXX: Ἀλέφ, Ὁολεί, Vulg. Chali = Ḫ. ʿAliyya?).
Aḥlâb–Maḥalêb (LXX; Δαλάφ, Vulg. Heleph, Ahalab = el–Ǧîš).
ʿUmmâ (LXX: Ἄμμα, Vulg. Ammah = Ḫ. ʿAmme?, vel ʿAlmâ eš–Šâʿb?).
Reḥôb (LXX: Ῥαοῦ, Ῥαώβ, Vulg. Rohob = Tell er–Râḥîb).
Akzîb (LXX: Ἐχοζόβ, Vulg. Achziba = ez–Zîb).
ha–Râmâ (LXX: Ῥαμά, Vulg. Horma = er–Râmiyâ).
Ḥammôn (LXX: Ἐμεμαών, Vulg. Hamon = ʿAin Ḥâmûl?, Ḫ. Umm el–ʿAmûd?).
Ḳânâ (LXX: Κανθάν, Κανά, Vulg. Cana = Ḳânâ).
Akšâf (LXX: Κεάφ, Ἀζείφ, Vulg. Axaph, Achsaph = Ḫ. Aksâf), denique regiones
circa Tyrum et Ṣîdônem sitae. — Consideratis insuper urbibus Nephtalitarum et Zabulonitarum (v. infra §§ 52. 53),

b) Limites Aseritarum fere hi erant: *Ab occidente*: mare Mediterraneum (de Nahr ez–Zerḳâ ad Nahr el–Ḳâsimiyye) constituebat terminum potius idealem, cum ipsa ora maritima vix unquam Phoenicibus ablata sit. *In plaga orientali* limes probabiliter ibat de Nahr ez–Zerḳâ versus NE linea incurvata prope urbes Ḥafâraim (= Ḫ. el–Fârriyye), Yoḳneʿam Carmeli (= Tell Ḳaimûn), ʿAmʿad (= Umm el–ʿAmed), ad vallem Yiftaḥʾêl (= Sahl el–Baṭṭôf, W. ʿAbellîn?); dein circumibat ab occidente oppidum Ayyâlôn (= Ḫ. Ǧâlûn, in Zabulon situm, Iud. [hebr.] 12, 12); inde ab oriente locorum Beṭen (= el–Bâne) et Maḥalêb–Aḥlâb (= el–Ǧîš). Ab hoc puncto vergebat versus NW et pergebat iuxta hodiernas civitates Tell er–Râḥîb, Râmiyâ, et inde versus septentrionem circa Yaʿter, Meǧdeidel, a quo oppido versus orientalem septen-

trionem (NE) usque ad sinum Nahr el-Ḳâsimiyye, cuius pars constituisse videtur limitem idealem (?) *a septentrione*. Sic ergo territorium Aser tangebat limites tribuum Manasse, Issachar (in Ḥafâraim), Zabulon et Nephthali.

§ 52. — Tribus Nephthali

Galilaeae partem orientalem occupabat. Eius districtus describitur Ios. 19, 32–39 ; sed textus satis obscurus et mancus est.

a) Limites : E collatione cum iis, quae de territorio Aser, Zabulon et Issachar dicuntur, hi limites assignari possunt : In *septentrionali plaga* flexus [a W in N] fluvii Nahr el-Ḳâsimiyye, et regio Merǧ 'Ayûn. — In *orientali :* Nahr el-Ḥâṣbânî, Iordanes cum lacubus Baḥret el-Ḥûle ac Gennesaret et dein usque ad W. el-Bîre. — In *meridionali plaga :* W. el-Bîre usque ad vicinia montis Tabor (Aznôt Tâbôr, Vulg. Azanotthabor). — In *occidentali :* linea recta ab orientalibus radicibus Tâbôris versus N usque ad Ḥuḳḳôḳ (Vulg. Hucuca = Yâḳûḳ); inde semicirculi formam referens circumeundo ab aquilone Ḥannatôn (= Dêr Ḥannâ ?) et a meridie er-Râme, in hac regione ad fines orientales Aser pervenit. Hae sunt computationes probabiliores. Ingeniosa coniectura von Hummelauer (*in Iosuen* p. 435–444) de " vico commutatorio „ (ad SW lacus Gennesaret sito), oblato Nephthalitis pro territorio a Danitis ipsis erepto, minus animum movet.

b) Urbes munitae Nephthalitarum magis praecipuae fuerunt :

Migdâl'êl (LXX : Μεγαλααρείμ, Μαγδαλιήλ, Vulg. Magdalel = Meǧdeidel ?).

'Edre'î ('Ασσαρέι, 'Εδράι, Vulg. Edrai = Ya'ter ?).

Ḥelef (LXX: Μοολάμ, Μελέφ, Vulg. Heleph = Beit-Lîf?).
Bêt-'Anât (LXX: Βαιθθαμέ, Βαιναθάθ, Vulg. Bethanath = 'Ainîṯa ?).
Ḳedeš (LXX: Κάδες, Κέδες, Vulg. Cedes = Ḳadeš).
Ḥaṣôr (LXX: Ἀσώρ, Vulg. Asor = Ḥ. Ḥarrâwi?, Ḥ. el-Ḥurêbe ?).
'Ên Ḥaṣôr (LXX: Πηγὴ Ἀσόρ, Vulg. Enhasor = Ḥ. Ḥadîre).
Yir'ôn (LXX: Κερωέ, Ἰαριών, Vulg. Ieron = Yârûn).
ha-Râmâ (LXX: Ἀραήλ, Ῥαμά, Vulg. Arama = er-Râme).
Kinneret (LXX: Κενερέθ, Χενερόθ, Vulg. Cenereth = Abû Šûše ?; Ṣinnâbra ?).
Raḳḳat (LXX: Δακέθ, Ῥεκκάθ, Vulg. Reccath = vicinia de Ṭabariyye).
Ḥammat (LXX: Ὠμαθά[δακέθ], Ἀμάθ, Vulg. Emath = el-Ḥammâm).
'Adâmâ (LXX: Ἀρμαίθ, Ἀδαμί, Vulg. Adami, quae est Neceb, Edema = Ḥ. 'Admâ).
Laḳḳûm (LXX: Λωδάμ, Ἄκρον, Vulg. Lecum = 'Aulam ?).
Yabne'êl (LXX: Ἰεφθαμαί, Ἰαβνήλ, Vulg. Iebnael = Yemma ?),

In hoc territorio insuper sitae erant (posterius?) vg.:
Ṣefat (Σέφεθ, Vulg. Sephet = Ṣafed).
Mêrôm (LXX: Μαρρών, Μερρών, Vulg. Merom = Meirôn?).
Corozain (Χωραζείν, Χοραζή, Χοροζαΐν, Vulg. Corozain = Ḥ. Kerâze).
Capharnaum (Καπαρναούμ, Vulg. Capharnaum = Tell Ḥûm), etc.

Tribus Nephthali possidebat igitur pulcherrimam regionem, bene irrigatam, montibus et silvis consitam, per

quam etiam mercatoria " via maris „ ducebat (cf. Deut. 33, 23; Gen. 49, 21 et § 67, 2 b.).

§ 53. — Tribus Zabulon

ad septentrionem tribus Issachar, ad meridiem et occidentem tribus Nephthali et ad orientem tribus Aser sita erat. Describitur Ios. 19, 10-16, qui tamen textus est mancus, dubius, non satis clarus. Comparatione facta cum iis, quae de tribubus attiguis afferuntur, ad has conclusiones satis probabiles pervenitur:

a) Limites: *in meridie* linea Ḥafâraim (= el-Fârriyye) per Dabbešet (Vulg. Debbaseth = Ǧebâtâ ?), Marela (Vulg. Merala = Ma'lûl ?), Śârîd (Śâdîd ? = Tell Šadûd), inter Yafi'a' (Vulg. Iaphie = Yâfâ ?), et hak-Kesullôt (Vulg. Ceselethtabor = Iksâl) per Dâberat (= Debûriye) ad montem Tâbôr (= G. eṭ-Ṭôr) inclusive. — *Ex oriente:* a monte Tâbôr linea versus septentrionem usque Ḥukḳôḳ (= Yâḳûḳ). — *E septentrione*, semicirculus de Ḥukḳôḳ per Ḥannâtôn (= Dêr Ḥannâ ?, Kefr 'Anân ?), Beṭen (= el-Bâne), ad Ayyâlôn (= Ḥ. Gâlûn). — *Ab occidente* linea sinuosa de Ayyâlôn circa Negi'êl (= Ḥ. Yânîn), Kâbûl, per vallem Yiftaḥ'êl (= Sahl el-Baṭṭôf ? W. 'Abellîn ?), Bêt Leḥem (= Beit Laḥm) usque ad Yoḳne'am (= Tell Ḳaimûn) ad meridionales Carmeli radices, in quo loco Zabulon probabiliter tangebat territoria Aser, Manasse ac Issachar.

b) Urbes (Ios. 19, 15) numero 12 numerantur, sed textus mancus affert solum 5, vdl.:

Ḳaṭṭâṭ (LXX: Κατανάθ, Καττάθ, Vulg. Cateth, Cathed = Kefr Kenna ? ?).

Nahalâl (LXX: Ναβαάλ, Νααλώλ, Vulg. Naalol = 'Ain Mâhil ?).

Šimrôn (LXX: Συμοών, Σεμρών, Vulg. Semeron = Semûniye).
Vid'alâ (LXX: Ἰερειχώ, Ἰαδηλά, Vulg. Ierala = el-Ḥawwâre).
Bêt Leḥem (LXX: Βαιθμάν, Βαιθλεέμ, Vulg. Bethlehem = Beit Laḥm).

Praeterea in territorio tribus inveniebantur:

mons Tâbôr (Θαβώρ, τὸ Ἰταβύριον, Vulg. Thabor = . et-Ṭôr).
planities Asochis (Iosephi Vita 31 = Sahl el-Baṭṭôf).
Yoḳne'am (LXX: ἡ Μαάν, Ἐκνάμ, Vulg. Iecnam, Ieconam = Tell Ḳaimûn).
Ḳartâ (LXX: Κάδης, Καρθά, Vulg. Cartha = ?).
Dimnâ (LXX: Σελλά, Δαμνά, Vulg. Damna [= Remmono ?] = Rummâne ?).
Ḳiṭrôn (LXX: Κέδρων, Vulg. Cetron [= Cathed ?] = ?).

Non est tandem exclusum, Zabulonitas possedisse aliquas colonias ad mare sive Mediterraneum (inter Aseritas), sive Tiberiadis (inter Nephthalitas); hoc fortasse concludi potest e Gen. 49, 13; Deut. 33, 18.

Aetate Christi (fortasse iam antea ?) in territorio antiquae tribus Zabulon sita fuerunt (cf. § 88):

Nazareth (= en-Nâṣire).
Cana (= Kefr Kenna, Ḫ. Kânâ, 'Ain Ḳânâ ?).
Sepphoris (= Ṣaffûriye). — etc.

B) — *In regione Transiordanica.*

§ 54. S. Scriptura teste (Deut. 3; Ios. 12) regionem transiordanicam eo tempore, quo eam Israëlitae invaserant, occupabant: *a*) in meridie Môabitae usque ad torrentem Arnôn (= Seil el-Môǧib); deinde *b*) Amor-

rhaei sub rege Sîḥôn possidebant regionem ab Arnôn versus septentrionem usque ad Yabbôḳ (Nahr ez-Zerḳâ) et praeterea totam vallem transiordanicam de mari Mortuo usque ad lacum Genesaret; *c*) 'Ammônitae terram ad orientem meridionalis Gil'âd sitam (circa Rabbat 'Ammôn usque ad Yabbôḳ). *d*) Super Gil'âd septentrionalem (de Yabbôḳ ad Yarmûk), super regionem Argôb (ad occidentem el-Muzêrîb ?), super totam terram Bâšân, et terram a Ḥaurân usque ad possessiones Aramaeorum (Gešûr et Bêt Ma'aka) in occidente, et usque ad Ḥermônem (in septentrione) regnavit 'Ôg, rex de Edre'î. E divisa in hunc modum regione transiordanica Môabitae et 'Ammônitae, utpote propinqui, in suo actuali (1) territorio manere debuerant (Deut. 2, 9. 19); regnum Sîḥônis Amorrhaei datum est tribubus Ruben et Gad; regnum vero 'Ôg dimidiae tribui Manasse. Speciatim:

§ 55. — Tribus Ruben

possessio libris Ios. 13, 15–23 et Num. 32, 34–38 describitur.

a) Limites: *Ad meridiem* fluvius ("torrens„) Arnôn (= Seil el-Môǧib); *ad occidentem* mare Mortuum cum ostio Iordanis (usque W. el-Ġorfe); *a septentrione* linea per W. el-Ġorfe, W. Ḥesbân, fortasse usque ad Ḳaṣr el-Ahlâ; *ab oriente* desertum syriacum el-Ḥamâḍ (eṣ-Ṣawwân), cuius limes occidentalis in Derb el-Ḥaǧǧ (hodie via ferrea versus Meccam) videri potest.

(1) Dixi: actuali, nam Amorrhaeus Sîḥôn iam antea abstulerat Môabitis terram inter Arnôn et Yabbôḳ, 'Ammônitis vero partem possessionis eorum. Ideo etiam Ios. 13, 25 dicitur Moyses dare Gaditis dimidiam partem terrae 'Ammôn.

b) Urbes maioris momenti (a meridie versus septentrionem) :

'Arô'êr (LXX : Ἀροήρ, Vulg. Aroër = 'Arâ'ir).

Ḥolôn (Ier. 48, 21 : LXX : Χαιλών, Χελών, Vulg. Helon = el-Leḥûn ?).

Beṣer (Ios. 20, 8 : LXX : Βασορ, Vulg. Bosor = Barazên ?).

Dibôn (LXX : Δαιβών, Vulg. Dibon = Dîbân).

Bêt Gâmûl (Ier. 48, 23 : LXX : οἶκος Γαμώλ, Vulg. Beth-gamul = Ḫ. el-Ġumeil).

Ḳiryôt (Ier. 48, 24. 41 : LXX : Καριώθ, Vulg. Carioth = Ḳureyyet Fâleh ?).

Ḳiryataim (LXX : Καριαθαιμ, Vulg Cariathaim = Ḫ. el-Ḳureyyât).

Ṣeret-haš-Šaḥar (LXX : Σεραδά, Σαρέθ, Vulg. Sarathasar = Callirrhoë ? = ez-Zâra).

'Aṭarôt (Num. 32, 34 : LXX : Ἀτταρώθ, Vulg. Ataroth = 'Aṭârûs).

Ba'al Me'ôn (LXX : Μεελβώθ, Βεελμαων, Vulg. Baalmaon = Mâ'în).

Bêt Pe'ôr (LXX : Βαιθφογώρ, Vulg. Bethphogor = Tell el-Maṭâbâ' ?, Šeiḫ Ġâyel ?, Sarâbîṭ el-Muṣâḳḳar ?).

Bêt Diblâtaim (Ier. 48, 22 : LXX : οἶκος Δαιβλαθαιμ, Λεβλαθαιμ, Vulg. domus Deblathaim = et-Teim ? ed-Dîêlet el-Ġarbiyye ?).

Bâmôt Ba'al (LXX : Βαμώθ Βάαλ, Vulg. Bamothbaal = el-Maslûbiyye ?, el-Ḳwêġiyye ?).

Mêdebâ (LXX : Μαιδαβά, Vulg. Medaba = Mâdabâ).

Nebô (Num. 32, 3 : LXX : ὄρος Ναβαύ, Vulg. Nebo, Nabo = en-Nebâ).

Ašêdôt hap-Pisgâ (LXX: Ἀσηδώθ Φασγά, Vulg. Asedoth *et* Phasga = Weṭât en-Na'am ?, 'Ayûn Mûsâ ?).

Ḥešbôn (LXX: Ἐσεβών, Vulg. Hesebon = Ḥesbân).

'El'âle (Num. 32, 37; LXX: Ἐλεαλή, Vulg. Eleale = el-'Âl).

Mêfa'at (LXX: Μαιφάαθ, Μηφάαθ, Vulg. Mephaat = Neif'a ?).

Sibmâ (LXX: Σεβαμά, Vulg. Sabama = Sûmiyye ?).

Bêt Yešimôt (LXX: Βαιθθασεινώθ, Βησιμούθ, Vulg. Bethiesimoth = H. Suweime).

Temporibus Christi (cf. § 91):

Machaerus (= Ḫ. el-Mukâwer).

Callirrhoë (= Ḥammâm ez-Zâra ?).

§ 56. — **Tribus Gad**

territorium delineatur Ios. 13, 24–28.

a) LIMITES eius *a meridie* cum territorio Ruben coincidunt (v. supra § 55); *ab occidente* Iordanes inter mare Mortuum et lacum Genesaret; *ab orientali septentrione* (NE) limes fuit valde incertus. Montes Gil'âd superioris pertinebant ad Manasse. Urbs Maḥanaim, sita ad septentrionem de Yabbôḳ (Gen. 32, 2. 22 = Ḫ. Maḥnâ ?, Tulûl eḍ-Ḍahab ?), assignatur hic (Ios. 13, 26. 30) utpote limes ex hac parte; sed alibi (Deut. 3, 16) ipse Yabbôḳ dicitur fuisse limes. Fortasse utrumque ita componi potest, ut tq. limes orientalis dicatur linea de Samâḫ per Ḫ. Maḥnâ (?), Aǧlûn, ad vadum Yabbôḳ (dictum Mišra' en-Nuṣrâniyye), per quod etiam nunc via de es-Salṭ usque Ǧerâš ducit; deinde limes esset Yabbôḳ ipse versus orientem (vg. ad Ḳal'at ez-Zerḳâ); postea a meridie W. el-Ḥammâm (affluens Yabbôḳ) usque ad Aǧbêhât (Yogbehâ),

a quo tenderet iam linea recta per Ya'zêr (= Ḥ. Ṣâr ?, Beit Zer'a ?) versus meridiem usque ad el-'Âl. Haec mea hypothesis videtur quidem possibilis, certa tamen demonstrari nequit. Tempore posteriore ad Gad videtur pertinuisse pars regionis Bâšân cum Salka (Selcha = Salḫad) in Ḥaurâno.

b) Oppida Gaditis attributa (e septentrione versus meridiem):

Maḥanaim (LXX: Μαάν, Vulg. Manaim = Ḥ. Maḥnâ ? Tulûl eḏ-Ḏahab ?).

Ṣâfôn (LXX: Σαφάν, Vulg. Sophan, Saphon = 'Ammâta ?).

Sukkôt (LXX: Σοκχωθά, Vulg. Socoth = Tell Aḫsas [tumulus tabernaculorum] prope Tell Dêr 'Allâ; cf. Abel in *RB*. 19 [1910] p. 556).

Râmat ham-Miṣpe (LXX: Ἀραβὼθ κατὰ τὴν Μασσηφά, Vulg. Ramoth *et* Masphe = Miṣpe Gil'âd = (?) Râmôt bag-Gil'âd = Ḥ. Gel'ûd ?, es-Salṭ ?, er-Remṯe ? ?).

Beṭônîm (LXX: Βοτανεί, Βοτανίμ, Vulg. Betonim = Baṭne).

Bêt-Nimrâ (LXX: Βαιθαναβρά, Vulg. Bethnemra = Tell Nimrîn).

Bêt Hârâm (LXX: Βηθαράμ, Vulg. Betharan = Livias, hodie = Tell er-Râme).

Yogbehâ (Num. 32, 34–36; LXX: ὑψωσαν αὐτάς, Iegbaa = Aġbêhât).

Num et quae iura habuerint Gaditae ad urbes Dibôn (1), 'Aṭarôt ('Aṭârûs) et 'Arô'êr (2) in territorio Ruben sitas.

(1) Ex eo etiam nomen: Dibôn Gad (Num. 33, 45, 46).

(2) Non est exclusum hoc loco (Num. 32, 35) esse sermonem de alio 'Arô'êr gaditico, quod videlicet situm erat ad septentrionalem orientem de Rabbat 'Ammôn, et de quo est sermo Ios. 13, 25 et prob. Iud. 11, 33.

quas post expugnationem reaedificarant (Num. 32, 34), nescimus. Non videtur exclusum, eos saltem proprietates quasdam vel colonias ibi habuisse. Idem videtur dicendum de Ḥešbôn (LXX : Ἐσεβών, Vulg. Hesebon), quod Ios. 13, 17 adnumeratur Rubenitis, in quorum erat territorio, quod vero Ios. 21, 38 et 1 Par. 65–66 inter urbes leviticas Gaditarum computatur.

Aetate Christi fuit hic insuper Pella (= Ṭabaḳât Fâḥil).

§ 57. — **Dimidia tribus Manasse** (transiordanica) possidebat reliquum " dimidium regionis Gala'ad „ (de Yabbôḳ ad Yarmûk) et totam terram Argôb et Bâšân (ad occidentem Ḥaurâni atque el-Leǧâh sitam, usque ad Nahr el-'Allân ?). De iure protendere se poterat ex parte septentrionali usque ad Ḥermônem (Ios. 12, 4; 1 Par. 5, 23); — sed Aramaei de Gešûr et de Bêt Ma'aka (Vulg. Bethmaacha) non videntur id permississe (Deut. 3, 14; Ios. 12, 4. 5; 13, 11). Limites exactiores assignari nequeunt.

Urbes magis praecipuae fuerunt :

60 oppida Ḥawwôt Yâ'îr (Num. 32, 41; Deut. 3, 14; Ios. 13, 30; LXX: ἐπαύλεις Ἰαΐρ, Θαυὼθ Ἰαΐρ, Vulg. vici Iair *vel* Havoth Iair, prob. ad meridiem Yarmûki et ad occidentem W. eš-Šellâle sita erant ; — praeterea :

'Aštārôt (LXX : Ἀσταρώθ, Βεεσθερά, Vulg. Astaroth, = Bosra [Ios. 21, 27] = Tell 'Aštara ? vel Tell el-Aš'arî).

Gôlân (LXX : Γαυλών, Γωλάν, Vulg. Gaulon = Saḥem el-Ǧôlân).

Edre'î (LXX : Ἐδραείν, Ἐδραίμ, Νεσδραείμ, Vulg. Edrai = Dêr'â).

Ḳenat Nobaḥ (Num. 32, 42; LXX: ἡ Καάθ, ἡ Καανάθ, ἡ Κανάθ, Vulg. Chanath Nobe, Canath = Kerak? vel el-Ḳanawât ?).

Be'ešterâ (LXX: Βοσορά, Βεεθαρά, Vulg. Bosra = Boṣrâ?).

Salka (LXX: Σεχχαί, Σελχά, Vulg. Salecha = Salḫad).

C) — *Urbes leviticae et refugii.*

§ 58. — Cum tribus Levi, utpote quae de Templo vivere deberet, in partitione Terrae Promissae nullum speciale territorium accepisset, Iosue (obsequendo Num. 35, 1-8) in congressu Siluntino tribui Levi habitacula per totam Palaestinam dispersa assignavit. Hae urbes proprietatem exclusivam Levitarum non constituebant, quia in iis permissum erat ipsis possidere solum domos et pascua circa urbem. Fuerunt autem numero 48 (cf. Ios. 21; 1 Par. 6, 54-81). Harum 13, non longe distantes a Ierusalem (in tribubus Iuda, Dan et Beniamin) fuerunt sacerdotibus Aharônidis destinatae: reliquae 35 per territoria aliarum tribuum fuerunt dispersae. Ḳahatitae-Levitae acceperunt 10 urbes (in Dan, Ephraim et Manasse occidentali); Geršônitae 13 civitates (in Issachar, Aser, Nephtali et Manasse orientali); Meraritae 12 civitates (in Zabulon, Ruben et Gad).

1. *Urbes sacerdotales fuerunt;*

a) in Iuda:

Ḥebrôn (LXX: Χεβρών, Vulg. Hebron = el-Ḫalîl).

Libnâ (LXX: Λεμνά, Λεβνά, Λοβνά, Vulg. Lobna, prope Beit Ǧibrîn ?),

Yattîr (LXX: Αἰλώμ, Ἰέθερ, Ἰεθθάρ, Vulg. Iether = Ḫ. 'Attîr ?).

Eštemôa' (LXX: Ἐσθαμάν, Ἐσθαμών, Vulg. Istemo, Esthamo = es-Semû'a).

Ḥôlôn (LXX: Γελλά, Ὥλών, Νηλών, Vulg. Holon = ?).

Debîr (LXX: Δαβείρ, Vulg. Dabir = eḍ-Ḍâhariyye).

'Ain (Ios. 21, 17) = 'Ašân (1 Par. 6, 34; LXX: Ἀσά, Ἀσάν, Vulg. Ain, Asan = Ḫ. 'Asan).

Yuṭṭâ (LXX: Ταυ, Vulg. Ieta = Yaṭṭâ).

b) in Dan:

Bêt Šemeš (LXX: Βαιθσαμύς, Βεθσαμές, Vulg. Bethsames, Bethsemes = 'Ain Šems).

c) in Beniamin:

Gib'ôn (LXX: Γαβαών, Vulg. Gabaon = el-Ǧîb).

Ǧeba' (LXX: Γαβέθ, Γαβέε, Vulg. Gabae, Gabee = Geba').

'Anâtôt (LXX: Ἀναθώθ, Vulg. Anathot = 'Anâtâ).

'Almôn = 'Allemet (LXX: Γάμαλα, Ἀλμών, Γαλήμεθ, Vulg. Almon, Almath = Ḫ. 'Almît).

2. *Urbes leviticae:*

a) in Ephraim:

Śekem (LXX: Συχέμ, Vulg. Sichem = Balâṭa).

Ḳibṣaim (Ios. 21, 22; LXX: Καβσαείμ, Vulg. Cibsaim) =

Yoḳme'âm (1 Par. 6, 68; LXX: Ἰκαάμ, Ἰεκμαάν, Vulg. Iecmaam) = ?).

Bêt Ḥôrôn (LXX: Βαιθωρών, Vulg. Bethoron = Beit 'Ûr et-Taḥtâ).

b) in Dan:

Elteḳê (LXX: Ἐλκωθαίμ, Ἐλθεκώ, Vulg. Elthecon, Elthece = ?).

Gibbetôn (LXX: Γεθεδάν, Γαβεδών, Vulg. Gabathon, Gebbethon = Ḳibîyye).

Ayyâlôn (LXX: Αἰλών, Ἰαλών, Vulg. Aialon =

LXX: Ἐγλάμ, Ἠλών, Vulg. Helon = Yâlô).

Gezer (colonia ephraimit.; LXX: Γαζαρά, Vulg. Gezer = Tell Ǧezer).

Gat-Rimmôn (LXX: Γεθρεμμών, Vulg. Gethremmon = ?).

c) in Manasse cisiordanica:

Ta'anâk (LXX: Τανάχ, Θαανάχ, Vulg. Thanach = Ta'annak) =

'Ânêr (LXX: Ἀμάρ, Ἐνήρ, Vulg. Aner = 'Ellâr?).

Gat-Rimmôn (LXX: Ἰεβαθά, Βαίθσα, Vulg. Gethremmon) =

Bil'am (LXX: Ἰβλαάμ, Vulg. Balaam = Bîr Bel'ame);

d) in Manasse transiordanica:

Gôlân (LXX: Γαυλών, Γωλάν, Vulg. Gaulon = Saḥem el-Ǧôlân).

Be'eśterâ (Ios. 21, 27; LXX: Βοσορά, Βεεθαρά, Vulg. Bosra =

'Aśtârôt (1 Par. 6, 56; LXX: Ἀσηρώθ, Ῥαμώθ, Vulg. Astaroth = Tell el-Aš'arî vel Tell 'Aštara).

e) in Issachar:

Ḳišyôn-Ḳedeś (LXX: Κεισών, Κισιών, Κέδες, Κέδεε, Vulg. Cesion, Cedes = Tell Abû Ḳedeis?).

Dâberat (LXX: Δεββά, Δεβράθ, Δεβερέι, (Vulg. Dabereth = Debûriye).

Yarmût-Râmot (LXX: Ῥεμμάθ, Ἰερμώθ, Ῥαμῶθ, Vulg. Iaramoth, Ramoth = ?).

ʿÊn Gannîm (LXX: Πηγὴ γραμμάτων, Vulg. Engannin) =
ʿAnem (LXX: Αἰνάν, Vulg. Anem = Ǧenîn).

f) In Aser:

Miš'al (LXX: Βασελλά, Μασαάλ, Vulg. Masal = Ḥ. Misalli ?).
ʿAbdôn (LXX: Δαββών, ʾΑβδών, ʾΑβαρα, Vulg. Abdon = Ḥ. ʿAbde ?).
Ḥelḳat (LXX: Χελκάτ, Θελκάθ, Vulg. Helcath) =
Ḥuḳḳôḳ (LXX: ʿΙκάκ, ʿΙακάκ, Vulg. Hucac = Yerkâ ?).
Reḥôb[ôt] (LXX: ʿΡαάβ, ʿΡοώβ, Vulg. Rohob = Tell er-Râhîb).

g) in Nephthali:

Ḳedeš (LXX: Κάδες, Κέδες, Vulg. Cedes = Ḳades)
Ḥammôt Dôr (LXX: Νεμμάθ, ʾΕμμαθδώρ, Vulg. Hammoth Dor) =
Ḥammôn (LXX: Χαμώθ, Χαμών, Vulg. Hamon, = el-Ḥammâm).
Ḳartân (LXX: Θεμμών, Νοεμμών, Vulg. Carthan) =
Ḳiryataim (LXX: Καριαθαΐμ, Vulg. Cariathaim = ?).

h) in Zabulon:

Yoḳne'am (LXX: Μαάν, ʾΕκνάμ, Vulg. Iecnam = Tell Ḳaimûn).
Ḳartâ (LXX: Κάδης, Καρθά, Vulg. Cartha = ?).
Dimnâ (LXX: Σελλά, Δαμνά, Vulg. Damna) =
Rimmônô (LXX: ʿΡεμμών, Vulg. Remmono = Rummâne).
Nahalôl (LXX: Νααλώλ, Vulg. Naalol) =
Tâbôr (LXX: Θαχχειά, Θαβώρ, Vulg. Thabor = ʿAin Mâhil ?).

i) in Gad:

Râmôt bag-Gil'âd (LXX: ʿΡαμὼθ ἐν Γαλαάδ, ʿΡαμμων, Vulg. Ramoth in Galaad = Ḥ. Gel'ûḍ ?),
Maḥanaim (LXX: Καμείν, Μαναίμ, Vulg. Manaim = Ḥ. Maḥnâ ?, Tulûl ed-Ḏahab ?)
Ya'zêr (LXX: ʿΙαζήρ, Vulg. Iazer) =
Ya'azêr (LXX: Γαζέρ, Γαζήρ, Vulg. Iezer = Ḥ. Ṣâr ?, Beit Zer'a ?).

k) in Ruben:

Ḥešbôn (LXX: ʾΕσεβών, Vulg. Hesebon = Ḥesbân, colonia gaditica ?).
Beṣer (LXX: Βοσόρ, Vulg. Bosor = Barazên ?).
Yahaṣ (LXX: ʿΙάσα, Vulg. Iassa) =
Yaḥṣâ (LXX: ʿΙαζήρ, Vulg. Iaser = Umm el-Walîd ?).
Ḳedemôt (LXX: Καδαμώς, Καμηδώθ, Vulg. Cademoth = [LXX: Δεκμών, Γεδσών, Vulg. Iethson] = el-Mešrêḡ ? Umm er-Raṣâṣ ?).
Mêfa'at (LXX: Μαφά, Μασφά, Vulg. Mephaat = Neif'a ?).

3. *Urbes refugii.* Ex hisce 48 urbibus leviticis 6 fuerunt quoque refugii civitates, in quas fugere poterant, qui involuntarie alios morte affecerant (Ios. 20, 18), vdl.:

Cis Iordanem:

Ḥebrôn, Šekem (Sichem), Ḳedeš [in Nephthali];

Trans Iordanem:

Beṣer (Barazên), Râmôt Gil'âd (= Ḫ. Ǧel'ûd), et Gôlân (Saḥem el-Ǧôlân). Silentio non est praetereunda harmonica urbium refugii distantia ac inter se dispositio.

CAPUT IX

Fines regni Davidici

Bibliographia : *a*) Monograghiae de Davide, ut vg.: Newton, *David the King of Israel*, London 1854 ; — H. Weiss, *David und seine Zeit*, Münster 1880 ; — Meignan, *David roi*... Paris 1889 ; — M. Dieulafoy, *David*, Paris 1897 ; — *b*) dissertationes in encyclopaediis, editis a Vigouroux, Hagen, Cheyne, Smith, Hastings etc. — *c*) A. Kamphausen, *Philister und Hebräer zur Zeit Davids* in ZATW (1886) p. 43-97 ; — et praecipue R. Kittel, *Geschichte des Volkes Israel* II[4] (1921), historia Davidis p. 130-180.

Post plurima bella gesta a Davide cum 'Amaleḳitis, Philisthaeis, Môabitis, Aramaeis (de Ṣôba, de Damasco etc.), 'Ammônitis et probabiliter cum Edômitis[1]), regnum israëliticum extensionem hucusque non habitam accepit. Ut idea rei, quantum fieri potest exacta, habeatur, opus est duas territorii Davidici partes distinguere : *a*) unam *directe* ipsi subiectam, ab Israële revera possessam, aut saltem magna ex parte inhabitatam ; — *b*) alteram vero *indirecte* solum a Davide dependentem, vel ad tributa, horum temporum more, coactam.

§ 59. — 1) Territorium Israëliticum, regi David directe subiectum, ac proinde limites populi Israël huiusce temporis exhibens, describitur 2 Sam. 24, 1-9, textu sat

[1]) Si videlicet cum LXX et Syriaco in 2 Sam. 8, 13 legitur אֶת־אֱדֹם loco massoretici אֶת־אֲרָם. In omni casu (ib. v. 14) additur, a Davide fuisse in Edom constitutos custodes et praesidia, id quod bella antea gesta et expugnationem supponit.

noto, sed ex parte non satis critice certo nec claro, quo populi census a Davide institutus enarratur.

Ioab et duces exercitus, licet inviti (v. 3), ut populi numerum regi reddere queant, fines regni israëlitici circumeunt (v. 4). Incipiunt ab 'Arô'êr ad Arnônem ; ac proinde *Arnôn* tunc temporis tq. limes meridionalis transiordanicae possessionis considerabatur. Limes orientalis vadit in linea de *'Arô'êr*, per possessiones tribus Gad, ad *Ya'zêr* (= Ḥ. Ṣâr ?, Beit Zer'a ?) (v. 5). Exinde pertranseunt regionem Gil'âd versus septentrionem, et perveniunt ad locum quendam (x), qui quidem ad rem nostram est maximi momenti, sed in textu hebraico et in versionibus est totus confusus (v. 6) [Cf. infra]. Ab illo loco (x), in septentrione (orientali ?), perveniunt ad *Dan* (Tell el-Ḳâdî) et hinc inflectunt iuxta *regiones Ṣîdônis* (v. 6), dehinc iuxta *regiones Tyri* (v. 7) — possessiones etenim Phoenicum non pertinebant ad regnum Davidis — et in omnes [antiquas] *civitates Ḥewaeorum* (הַחִוִּי) et *Chananaeorum*, nunc maxima ex parte iam israëliticas (v. 8); denique perveniunt in *Negeb* usque *Be'êršeba'*.

Palaestina igitur cisiordanica — exceptis possessionibus Phoenicum et urbibus maritimis Philisthaeorum — tota ad regnum Davidis pertinuit. Palaestinae transiordanicae ad Davidem spectavit directe tota regio ab Arnône, septentrionem versus, per 'Arô'êr, Ya'zêr, Gil'âd usque ad aliquem limitem x, de quo nunc nobis agendum. Consentientibus omnibus, textus hebraicus hoc maxime loco, ut iam probat LXX, est corruptus. Textus hebraicus habet (2 Sam. 24, 6):

וַיָּבֹאוּ הַגִּלְעָדָה וְאֶל־אֶרֶץ הַתַּחְתִּים חָדְשִׁי

i. e. " et venerunt in Gil'âd et in terram infra ḤODSI „.

LXX (B): καὶ ἦλθον εἰς τὴν Γαλαὰδ καὶ εἰς τὴν Θαδασσών, ἥ ἐστιν Ναδασαί.

LXX (A): καὶ ἦλθον εἰς Γαλαὰδ, τὴν Θαδασσών, γῆν Ἐδδών, Ἀδασσαι.

Vulg.: " transierunt in Galaad et in terram inferiorem Hodsi ".

Quia vero illa regio Ḥodši est omnino ignota, ideo multi critici praeferunt textum LXX (in recensione Luciana) εἰς γῆν Χεττιειμ Καδης, et legunt חִתִּים קָדְשָׁה " in terram Hethaeorum usque ad Ḳadeš ,, — i. e. usque ad Hethaeorum capitalem Ḳadeš, ad Orontem. Sed hoc difficile concipitur: vdl. non solum imperium directum Davidis tantopere septentrionem versus se extendisse, sed etiam populum *Israël*, qui *solus* conscribendus erat, ibi habitasse. Ceteroquin ex illo supposito Ḳadeš ad Orontem, redeunt legati Davidis in Dan, ut inde iter suum versus Ṣidônem prosequantur: — cur igitur revertuntur in Dan (in SE de Ṣidône), si Ṣidônis regiones e septentrione directe adire potuerunt? Hae rationes improbabilem reddunt lectionem LXX recensionis Lucianae.

Alii (vg. Klostermann) proponunt, ut retineatur Ḳadeš et loco Χεττιειμ legatur Νεφθαλιειμ — i. e. intelligunt Ḳadeš galilaeum. Haec quidem sententia difficultates historicas solvit, sed non bene concordat cum toto contextu, qui vult assignare hic limitem regni ex orientali septentrione (NE), cum postea de limite septentrionalis occidentis (NW) sermo sit.

Ewald, Graetz et alii legunt: אֶרֶץ חִתִּים חֶרְמֹן i. e. " terra infra Ḥermônem ,, Et haec opinio placet: tum quia in antiquiore alphabeto chananaico (Meša') חדשי facile pro חרמן scribi poterat, tum quia aliis terrae

Kana'an limitibus respondet, vg. a Dan ad Be'êršeba' (2 Sam. 24, 2. 15; 3 Reg. 4, 25. [5, 5] etc.), de quibus iam actum est (§ 42; pag. 122).

Hi igitur, quos descripsi, fuerunt fines regni Davidis, ipsi directe subiecti.

§ 60. — 2) Territoria, indirecte dependentia a monarcha israëlitico, comprehendebant regiones populorum, a Davide devictorum, qui tributa ipsi solvebant. Fuerunt autem: *Môabitae* (2 Sam. 8, 2; 1 Par. 18, 2), *'Ammônitae* (2 Sam. 11, 1; 12, 26–31), *Edômitae* (2 Reg. 8, 13. [sec. LXX et Syr.] et 14; 1 Par. 18, 9–13; cf. 3 Reg. 22, 48; 8, 20) et *Aramaei* de Damasco, de Ma'aka, de Ṣôba et de Reḥôb (2 Sam. 8, 3–8); — *'Amaleḳitae* devicti disparent ex historia (2 Sam. 8, 11 ss., cf. Num. 24, 17 ss.); *Philisthaei* denique, definitive devicti, dependebant quoque a Davide. Idem probabiliter dicendum de nonnullis urbibus chananaeis, ut vg. Gezer, quae autonomia adhuc gaudebant, sed sine dubio aliquomodo a Davide dependebant. (Tributa demum sub Salomone iis imposita sunt). — Ac proinde temporibus Davidis regnum israëliticum maximam habuit extensionem: possessiones directae extendebant se a Be'êršeba' usque ad Ḥermônem (Dan), et ab Arnône usque Bâšân (inclusive?); -- possessiones vero tributariae a sinu aelanitico (in regione Edôm), versus NE in directione Damasci, forte usque ad Euphratem, si nimirum supponatur, territoria Aramaeorum (David subiectorum) in septentrione Euphratem tetigisse, quod probabile videtur (2 Sam. 8, 3).

Nominatim: fines totius (directae et indirectae) dominationis Davidicae fuerunt fere hi: *ad occidentem*

mare Mediterraneum a torrente Aegypti (W. el-'Arîš ?) usque ad scalam Tyriorum (?), et deinde montana Galilaeae superioris ; — *ad orientem* deserta syriaca ; — *ad meridiem* torrens Aegypti, extremi fines Negeb usque ad sinum Aelaniticum, qui tunc temporis probabilissime adhuc protendebatur usque ad Ğ. Ġaḏyân et 'Ain Ṭâbâ, prope quos 'Eṣyôn Geber situm fuisse videtur; dein tota regio ad orientem de el-'Araba usque ad el-'Aḳaba, prope quam erat Êlat (= Îla) ; — *ad septentrionem* Libanus, Ḥermôn, regio Damasci et terrae fascia, versus Euphratem et ed-Dêr currens ; fortasse ergo regio, sita ad meridiem iugi montium, NE de Damasco versus el-Ḥamma ad Euphratem. (Singulae partes huius iugi portant hodie diversa nomina) (1). Sed hoc ultimum est valde hypotheticum.

Haec tanta dominii extensio, quam Israël numquam antea assecutus erat, ideo solum acquiri potuit, quia cum Assyria, tum Aegyptus eo maxime tempore verae infirmitatis internae et decadentiae periodum subibant.

§ 61. — 3) Divisio administrationis Salomonicae.

Magnificae constructiones, vita Salomonis eiusque curiae longe a simplicitate pristina Patriarcharum remota, et fortasse etiam desiderium independentiae ac autonomiae tribualis debilitandae Salomonem commoverunt, ut regnum Israëliticum in 12 provincias administrativas divideret, quarum unaquaeque per mensem omnes expensas regis eiusque curiae solvere ac tegere debuerit. Unicuique tali districtui tributario praeerat praefectus.

Divisio Salomonis solum ex parte cum divisione tribuali coincidebat. Etiam hic textus vdl. 3 Reg. 4, 7–20 non est sufficienter clarus, aliquoties quoque mancus. Dici tamen possunt quae sequuntur :

(1) ut vg. : Ğ. Ḳalamûn, Ğ. Abû Ḳôs, Ğ. eṭ-Ṭawwîl, Ğ. eḍ-Ḍâḥik, G. el-Bišrî.

Districtus tributarii erant hi:

1) *Montes Ephraim* (? tribus Manasse occident. ? et Ephraim);

2) urbes occidentales *de Bêt Ḥôrôn ad Bêtšemeš* (ergo pars occidentalis tribus Beniamin, Iuda et Dan);

3) *planities Šārôn* de Carmelo probabiliter usque ad Gezer (ergo partes tribuum Manasse occid. et Dan);

4) *Urbes meridionales planitiei Esdrelon* usque ad Bêt Še'ân et Iordanem (ergo pars NE tribus Manasse et S de Issachar);

5) Râmôt bag-Gil'âd cum Ḥawwôt Yâ'îr (ergo tribus Manasse orient. et forte pars Gad);

6) *Maḥanaim* (ergo Gad septentrionalis);

7) terra *Nephthali;*

8) regio *Aser;*

9) terrae *Issachar* pars septentrionalis;

10) terrae *Beniamin* reliquum);

11) *Gad* (reliquae partes); et

12) districtus constans urbibus Sôkô (Ḥ. Šuweike), et Ḥefer (Opher, Vulg. = 'Ofrâ ? ergo fortasse partes occidentales de Bêth-leḥem). —

Divisio haec administrativa, quae divisiones tribuales neglegebat et in qua regio Ierusalem ac tota orientalis et meridionalis tribus Iuda a tributis erat exempta, sine dubio inter alia ad hoc contulit, ut inimicitiae mutuae et invidiae ceterarum tribuum contra tribum Iuda, sub Davide vix sopitae, reviviscerent ac mortuo Salomone occasionem darent divisionis regni Salomonici.

CAPUT X

Limes, qui inter regna Ephraim et Iuda fuit.

Bibliographia : L. Heidet, *Les royaumes de Jouda et des dix tribus : La ligne intermédiaire de démarcation,* in *Biblica* 7 (1926) 83–87 ; — E. Power, *Another view on the line of demarcation between the kingdom of Iuda and Israel,* in *Biblica* 7 (1926) 87–95. —

§ 62. — Mortuo Salomone (a. 937, sec. alios 933, vel 919 a. Chr.) regnum Israëlis in duas partes dilapsum est: in regnum Ephraim septentrionale et regnum Iuda meridionale. Videamus, quomodo haec divisio territorialis effecta sit.

Regnum *Ephraim* possedit territorium decem tribuum cum territorio Môab (4 Reg. 3, 4–7), adeoque totam regionem trans Iordanem sitam et septentrionalem terrae cisiordanicae partem habuit.

Regno *Iuda* solum pars meridionalis terrae cisiordanicae et provincia tributaria Edôm (cum rege [= principe] tq. capite ; 4 Reg. 3, 9) fidelis remansit.

Quae cum ita sint, limes inter ambo divisa regna erat : Seil el-Kurâḥî (W. el-Ḥesâ), tq. limes inter provincias Edôm et Môab ; dein mare Mortuum (ora occidentalis ? ?), Iordanes ab ostio usque ad W. el-Ḳelt, et ab W. el-Ḳelt linea versus occidentem, sat disputata et variabilis. De illo limite cisiordanico lites satis vehementes et pugnae inter reges Ephraim et Iuda non raro exortae sunt. (Confer 3 Reg. 15, 16–22; 2 Par. 13, 19; 15, 8).

Ut hic limes cisiordanicus determinetur, duo sunt consideranda: *a*) ad quod regnum tribus Beniamin pertinuerit? — *b*) quibus locis limes fuerit?

§ 63. — *a*) *Tribus Beniamin:* α) theoretice videtur pertinuisse ad regnum Ephraim. Nam 3 Reg. 11, 13. 32. 36; 12, 20; 17, 18 expresse dicitur, unicam tribum (vdl. Iuda) domui David adhaesisse. Cum tribu Iuda, et territorialiter et (ut videtur) socialiter, tribus Simeon iam antea in unum coaluerat; adeoque separatim non computabatur. Confer Ps. 79 (80), ubi idem supponitur.

β) Revera tamen pars saltem tribus Beniamin sive sponte adhaesit, sive per vim cum regno Iuda coniuncta est. Id patet e pluribus Scripturae locis (ut vg. 3 Reg. 12, 21; 11, 31. 35; 2 Par. 11, 23; 14, 8), quibus Beniamin, ut ad regnum meridionale pertinens, cum Iuda commemoratur; sec. 2 Par. 11, 10 urbes, quae erant in Iuda (et Beniamin), a Roboam rege Iuda muniuntur. — Praeterea inter urbes regni meridionalis, iam statim post divisionem, enumerantur urbes beniaminiticae ut Ierusalem ipsa, dein hā-Râmâ, ham-Miṣpe, Geba' (Beniamin), 3 Reg. 15, 16. 22; posterius demum sub Abia et Asa insuper Bêt'êl, Yeśânâ, 'Efrôn-'Ofrâ (2 Par. 13, 19 Kt. [LXX Ἐφρών]; 15, 8). — Quia vero 3 Reg. 11, 31. 35 et c. 12 regno ephraimitico decem tribus promittuntur — ut hunc numerum salvent — nonnulli dicunt, Beniamin pertinuisse quidem ad regnum Iuda, sed tribum Manasse ut duplicem numeratam esse; alii tribum Levi regno Ephraim adnumerant; alii Beniamin ad regnum Ephraim pertinuisse, tribum Levi posteris Salomonis mansisse fidelem et in territorium Iuda migrasse (2 Par. 11, 13 ss.), affirmant.

Non negando hoc ultimum factum, potius dicendum videtur : *a*) Tribus *Simeon*, territorio Iuda inclusa, cum regno Iuda unita mansit, sed utpote unita, separatim computata non est ; *b*) Tribus *Levi* neque regno Iuda neque Ephraim adnumerabatur, licet posterius in tribum Iuda migraverit ; *c*) *Beniamin* tota de iure ad regnum septentrionale pertinuit, hinc numerus 10 salvari potuit ; reipsa solummodo septentrionalis (eaque maior) pars tribus Beniamin regno Ephraim inclusa est, altera meridionalis (minor) pars cum regno Iuda commemorari potuit, sed non necessario cum eo computari debuit.

§ 64. — *b*) *Limes cisiordanicus* utriusque regni. — Ora maritima fuit in possessione Philisthaeorum, Bêt'êl et Yerîḥô in potestate regum Ephraim (3 Reg. 16, 34 ; 4 Reg. 2, 4) mansit. — Sub Abia et Asa cum regno Iuda coniunctae sunt : Bêt'êl (= Beitîn), Yešânâ (= 'Ain Sîniyâ ? Burǧ el-Isâneh ?) et 'Efrôn (= eṭ-Ṭayyibe) ; unumquodque cum vicis suis (cf. 2 Par. 13, 19 ; 15, 18). — Adeoque tunc temporis totum (fere ?) territorium tribus Beniamin — excepta urbe Yerîḥô — ad regnum Iuda spectabat. Urbes antiquitus daniticae, in planitie circa Gibbetôn (= Ḳibbiyye) positae, ad regnum Ephraim videntur pertinuisse. Ephraimitae etenim non semel cum Philistaeis de possessione Gibbetôn pugnarunt (3 Reg. 15, 27 ; 16, 15-17). E contrario urbes daniticas Ṣor'â (= Ṣar'â) et Ayyalôn (= Yâlô) Roboam rex Iuda munivit (2 Par. 11, 10).

Adeoque breviter haec tantum sine ulla dubitatione dici possunt : post divisionem, meridionalis pars tribus Beniamin et SE pars antiqui territorii tribus Dan, antea iam a Iuda occupati, ad regnum meridionale Iuda perti-

nuit; septentrionalem eamque maiorem partem tribus Beniamin et NE antiquae tribus Dan reges Ephraim occuparunt.

Limes inter utrumque regnum, statim post divisionem, probabiliter currebat: de Iordane per W. el-Ḳelt et W. eṣ-Ṣuwênîṭ, dein ad septentrionem oppidorum Geba' Beniamin (= Ǧeba' vel Tell el-Fûl), Râmâ (= er-Râm) et Gib'ôn (= el-Ǧîb); denique per W. Selmân usque ad viciniam Gezer (= Tell Ǧezer). Ac proinde limes, regnum utrumque dividens, assignatus in atlantibus Riess[3], tab. III et L. Grammatica, tab. V, veritati historicae respondere non videtur. Melius Guthe, *Bibelatlas*, 1911, [2] 1926, tab. 4.

CAPUT XI

Viae mercatoriae et militares Palaestinae antiquae

Bibliographia : Herzfeld, *Handelsgeschichte der Juden des Altertums*, Braunschweig 1879 ; — *Survey of Western Palestine*, London 3 (1883) ; — Fr. Buhl, *Geographie des alten Palästina*, 1896 p. 125–131 ; — R. E. Brünnow et A. v. Domaszewski, *Die Provincia Arabia* 1 (1904) p. 15–124 ; — P. Thomsen, *Palästina nach dem Onomastikon des Eusebius*, in ZDPV 26 (1903) p. 168–188 ; — V. Schwöbel, *Die Verkehrswege und Ansiedelungen Galiläas in ihrer Abhängigkeit von den natürlichen Bedingungen*, in ZDPV 27 (1904) p. 57–88 ; — G. A. Smith, in Cheyne, *Encyclopaedia Biblica* (" Trade and Commerce „) col. 5145–5199 ; — idem, *The Historical Geography of the Holy Land*[12] 1906 p. 667–682 ; — H. Guthe, in Hauck, *Realencyclopaedie* 14 p. 595–597 ; et in *Kurzes Bibelwörterbuch*, p. 711–714 ; — A. Legendre, in Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible*, V 1229–1237 ; — H. Lesêtre, ib., II 878–890 ; — Bennett, in Hastings, *Dictionary of the Bible*, art. " Trade „ ; —

Cf. etiam O. Hirschfeld, *Die römischen Meilensteine* in Sitzb. Akd. Berlin (1907) 165–201 ; — F. Preisigke, *Die ptolemäische Staatspost*, in *Klio* 7 (1907) 241–277 ; — O. Jauber, *Das geographische Element bei den Römerstrassen* in GA. (1908) 73–78 ; — H. Lammens, *La république marchande de la Mecque* in " Bullettin de l'Institut égyptien „ 5 serie, t. 4 (1910) 23–54. — G. Dalman, *Palästina als Heerstrasse im Altertum und in der Gegenwart*, Palästinajahrbuch 12 (1916) 15–36. — P. Thomsen, *Die römischen Meilensteine der Provinzen Syria, Arabia und Palästina*, Leipzig 1917 ; —

De viis romanis in Palaestina conferri potest: Bergier, *Histoire des grands chemins de l'Empire Romain*, 1728 ; Mommsen, *History and Provinces of the Roman Empire ;* — vide etiam Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible*, " Commerce „ II, 878–890 (H. Lesêtre) ; " Routes „ V, 1229–1237 (A. Legendre) ; — R. Mouterde, in *Mélanges de la Faculté orientale de Beyrouth* II (1907) 336–345.

§ 65. — Palaestina, pons quodammodo coniungens Aegyptum et Mesopotamiam, Arabiam et Asiam Minorem, saepius cum ab Orientis bellatoribus tum mercatoribus frequentata est. Montana nihilominus magnae partis Palaestinae regio difficilem tantum meatum praebebat. Romani demum per suas mirabiles vias, in tota Palaestina constructas, huic inopiae remedium efficax attulerunt. Viarum romanarum vestigia de directione viarum temporis antecedentis conclusionem permittunt, nam Romani ordinarie vias iam exsistentes adaptabant, solidabant et perficiebant.

Non agetur hic de omnibus viis (דֶּרֶךְ, מְסִלָּה, נְתִיבָה, אֹרַח) Palaestinae, in Scriptura nominatis, cum hae non semel tantum semitae essent, quibus homo mulo aut asino insidens vix transire poterat (cf. Iud. 19, 10; 1 Sam. 25, 20; 4 Reg. 4, 24). Hae quidem ad aliqualem Israëlitarum inter se communicationem sufficere potuerunt, sed magnis exercitibus aut mercatorio agmini aptae non fuerunt. Hic solummodo de iis viis sermo erit, quae in Palaestinae historia ante Christum alicuius fuerunt momenti, quaeque — saltem ex parte — etiam post Christum in usu fuerunt.

Ut Orientis res gestae abunde testantur, iam antiquissimis temporibus exercitus et mercatorum agmina Palaestinam peragrabant, adeoque viae adaptatae esse debebant. Earum vestigia adhuc hodie exstant: vg. ad Nahr el-Kelb (prope Berytum), ad "scalas Tyriorum„ et alibi. — Analogi casus referuntur a Scriptura (Gen. 45, 27; 1 Sam. 6, 12; 2 Sam. 6, 6; 15, 1; 3 Reg. 1, 5; Is. 22, 13; Ier. 17, 25 — cf. praeterea Deut. 19, 2. 3, ubi praescribitur, ut ad urbes asylorum et refugii viae commo-

dae ducant). — In Edôm et Môab erant " viae regiae „ דֶּרֶךְ הַמֶּלֶךְ (Num. 20, 17 ; 21, 22), quae posteriores *derb es-sulṭ'n* in mentem revocant, et a semitis montanis aut campestribus distinguebantur. — Salomon eiusque successores, iam multos equos et currus possidentes, ipsa necessitate cogente de viis construendis cogitare debuerunt. Ipsum nomen מְסִלָּה = via publica, a radice סלל " complanare „, aliquos labores supponit. — Rex Meša' in sua stela gloriatur, se in Môab viam construxisse עשתי מסלה. — Chananaeorum currus bellici, temporibus regum, adhibebantur etiam in montanis (3 Reg. 22, 38 ; 4 Reg. 7, 14 ; 9, 21-28). Quae omnia necessario supponunt, vias quasdam meliores in ipsa quoque Palaestina montana exstitisse.

Perspicuitatis gratia expedit : A) brevissimum dare conspectum magnarum viarum (militarium et commercialium) Orientis antiqui, quae Palaestinam — lato sensu sumptam — saltem tangebant ; B) de nonnullis viis, in Palaestina ipsa exsistentibus, quaedam breviter innuere.

§ 66. — A) Viae antiqui Orientis — militares et mercatoriae.

Commercii et potestatis politicae in Oriente quattuor fuerunt praecipua quasi centra : Aegyptus, Asia Minor, Mesopotamia, Arabia meridionalis, — quae inter se variis iungebantur viis, quarum plus minusve probabiles lineae erant hae :

I) Aegyptus cum Asia minore :

1) Memphis — *Gazze* — Tyrus — *Arwáda* — Antiochia — Tarsus.

2) Memphis — *Ġazze* — Megiddo — *Damascus* — (vel Tyrus) — Ḥaleb — Tarsus.

II) Aegyptus cum Mesopotamia:

3) Memphis — *Ġazze* — Megiddo — Damascus — *Palmyra* — Dêr-ez-Zôr [aut: Tifsaḥ] — iuxta Euphratem — Babylon.

4) Memphis — *Ġazze* — Megiddo — Damascus — *Ḥaleb* — Ḥarrân — Ninive.

5) Memphis — Arsinoë (c. es-Suwês) — *Êlat* (el-'Aḳaba) — Ma'ân [Petra] — er-Rabbe — W. Sirḥân — Dûma (el-Ǧôf) — Babylon.

III) Aegyptus cum Arabia merid. (SE):

6) Memphis — *Ġazze* — Êlat — el-Ḥeğr — Mekka — Ṣan'â — *'Aden* — Sabbata — Ẓofâr — Muskaṭ.

7) Memphis — *Ġazze* — Ma'ân (Petra) — Êlat — *Teimâ* — Ḥâ'il — Garad — er-Riyâḍ — Gerrha — *Regma* — Muṣkaṭ.

8) Memphis — Arsinoë — *Êlat* et ita porro (ut supra sub 6).

9) (via maritima): Memphis — Koptos — el-Ḳuṣeir [aut Berenike] — Ǧedda — Okelis — 'Aden — Ẓofâr — Muskaṭ.

IV) Arabia merid. cum Asia Minore:

10) 'Aden — Ṣan'â — *Mekka* — el-Ḥeğr. — *Ma'ân* [Petra] — *Damascus* — Ḥamâ — Ḥaleb — Tarsus.

11) 'Aden — Ṣan'â — *Mekka* — Êlat — *Gazze* — Tyrus — *Arwâda* — Haleb — Tarsus.

V) Arabia merid. cum Mesopotamia:

12) 'Aden — Ṣan'â — *Mekka* — el-Ḥeğr — *Ma'ân* [Petra] — Boṣrâ — Dûma (*el-Ǧôf*) — Babylon; (haec unice tangebat Palaestinam).

13) 'Aden — Ṣan'â — Mekka — el-Ḥeğr — *Teimâ* — Dûma (el-Ǧôf) — Babylon.

14) 'Aden — Ṣan'â — Mekka — Medîna — Ḥâ'il — (Lîna) — Babylon.

15) 'Aden — Ṣan'â — *er-Riyâḍ* — Garad — Teredon — Babylon.

16) (via maritima): 'Aden — Ẓofâr — Muskaṭ — Hermûz — Teredon — Babylon.

VI) Viae ex Mesopotamia in Asiam Minorem ferentes nullo modo tangebant Palaestinam.

§ 67. — B) Via Antiquae ipsius Palaestinae.

E supra commemoratis antiqui Orientis viis solummodo 4 Palaestinam tangebant, una vero Palaestinam percurrebat.

1) Tangebant Palaestinam:

a) *a septentrione*: Tyrus — Dan — Damascus (I, 2).

b) *ab oriente*: Damascus — Boṣrâ — er-Rabbe — Ma'ân [Petra] — Êlat (II, 5; IV, 10; V, 12).

c) *a meridie*: Ma'ân (Petra) — Gazze (III, 6. 7); vel Êlat — Gazze [es-Suwês] (III, 6. 8; IV, 11).

d) *ab occidente*: Gazze — Yâfa — Carmelus — Tyrus (I, 1. 2).

2) Pertransibat Palaestinam una via, vdl. Memphis [resp. 'Aden] — *Gazze* — Yâfâ — Megiddo — *Damascus* — Babylon [resp. Ninive aut Tarsus] (II, 3. 4; IV, 11). Videamus eam speciatim:

Gazze semper centrum commercii fuit, quo mercatores aegyptii, mesopotamici, arabici et asiatici (ex Asia Minore) conveniebant et sibi mutuo occurrebant. Alterum tale centrum fuit Damascus. Haec duo principalia centra palaestinensia inter se via mercatoriâ coniuncta fuerunt, quae in nonnullis locis ramos differentes habuit. Hinc plures combinationes possibiles devenerunt et revera in usu erant:

a) Exeundo de *Gazze* via currebat „*per terram Philistinorum*„, declinando vdl. paulo ab ora maritima, ferebat per Ascalonem, *Azotum*, Iamniam ad *Yâfâm*; exinde, aut iuxta oram maritimam aut per Sârônae planitiem, tendebat Caesaream, Dôr, *'Akkâm*, *Tyrum* et per Akzâf, *Dan*, Bâniyâs — *Damascum* usque perveniebat; — vel:

b) exeundo de Ġazze — tangebatur Ascalon, Azotus, Lydda — Sârôn — *Megiddo* — Esdrelon planities (circa Tâbôr) — Galilaea inferior, (vel Beisân), dein — Tiberias — circa lacum (terram) Genesaret (el-Ġuwêr) et Capharnaum (Tell Ḥûm); — dein ponte *Ǧisr Benât Ya'ḳûb* traiiciebatur Iordanes, ac demum rectâ (prope hodierna: el-Ḳunêṭra, Tell Dubbe, Kôkab) adibatur — Damascus. Haec appellabatur " via maris „, sec. nonnullos ideo quia mare Tiberiadis tangebat, probabilius tamen, sec. alios, quia exinde etiam (per Asochin) directe 'Akkâ et mare Mediterraneum adiri poterant.

c) Ġazze — *Yâfâ* vel Lydda — Šârôn planities Dôṯân — Ên Gannîm (Ǧenîn) — Yizre'ēl — Bêt Šeân (Beisân), — prope *Samâḫ* transibat Iordanem; — exinde rectâ (prope hodierna: Ḥisfîn, Ṭell Mer'î, el-Kiswe) pergebat — Damascum.

d) Ġazze — Yâfâ — Lydda — Šârôn — planities Dôṯân — Ǧenîn — Beisân — Ǧisr el-Muǧâmi', (quo Iordanes traiiciebatur) et deinde per Gadaram — Muzêrîb vel 'Aštarôt — Aera (eṣ-Ṣanamên) — versus Damascum.

Haec principalis coniunctio Ġazze-Damascus, — in suis 4 variis lineis, — unica internationalis via erat, quae Palaestinam revera transibat.

3) Ad usum suorum potius incolarum Palaestina alias quoque vias possidebat, quarum nonnullas stationes hic recensere iuvat.

a) In terra cisiordanica.

1. *Ierusalem* — Bêt Leḥem — Beit Neṭṭîf — Socho — *Beit Ǧibrîn* — Lâḳîš — Ġazze — Raphia — Zaru — Pibeset — *Memphis.* } cum Aegypto

2. *Ierusalem* — Bêt Leḥem — *Ḥebrôn* — Bîr es-Seba' — Elusa — Reḥôbôt (er-Ruḥêbe) — Ḳadeš ('Ain Ḳedeis) — *Memphis.* }

3. *Ierusalem* — Bêt Leḥem — *Ḥebrôn* — Bîr es-Seba' — Elusa — Eboda ('Abde) — *'Eṣyôn Geber* — *Êlat* — Arabia.

4. *Ierusalem* — Bêt Leḥem — Ḥebrôn — *'Arâd* — ez-Zuwêra — el-'Araba — *Êlat* — Arabia. } cum Arabia

5. *Ierusalem* — Bêt Leḥem — 'Arô'êr — *Tamar* (Kurnûb?) — *Petra* — Êlat — Arabia.

6. *Ierusalem* — Bêt Leḥem — Teḳôa' — *'Ên Gedî.*

7. *Ierusalem* — Gib'ôn (el-Ǧîb) — *Bêt Ḥôrôn* (Ios. 10, 10) — Lôd (Lydda) — *Yâfâ.*

8. *Ierusalem* — mons Olivarum — Baḥûrîm — Adummîm — *Yerîḥô* — terra transiordanica (2 Sam. 16, 1. 5).

9. *Ierusalem* — ha-Râmâ (er-Râm) — Be'êrôt (el-Bîre) — Bêt'êl — Lebônâ (Ḫân Lubbân) — *Sichem* (Šekem).

10. *Ierusalem* — 'Anâtôt — Geba' — Mikmas — Migrôn (Makrûn) — 'Ayyat (et-Tell) — 'Efrôn (eṭ-Ṭayyibe) — Šîlô — Lebona — *Sichem*; (huc refertur Is. 10, 28 ss.).

11. *Yerîḥô* — Ḫ. Faṣâ'il — Ta'nat Šîlô — *Sichem.*

12. *Yerîḥô* — Ḫ. Fasâ'il — Beisân — Samâḫ — Raḳḳat (*Tiberias*).

13. *Sichem* — Samaria — Dôṯân — Genîn — Ta-'anak — Megiddo — *'Akkâ.*

14. *Sichem* — Samaria — Getta — Ḳannîr — Caesarea Palaestinae — *Dôr* — Sycaminum — *'Akkâ.*

15. *Sichem* — Pir'atôn — Galgulis (Ǧilǧûliye) — *Yâfâ.*

16. *Sichem* — Ṭûbâs — Bezeḳ (Ḫ. Ibzîḳ) — *Beisân.*

b) in terra transiordanica:

1. *Damascus* — Aera (eṣ-Ṣanamên) — 'Aštarôt (c. el-Muzêrîb) — Der'â — er-Remṯe (Râmôt ?) — *Gerasa* (*Ǧerâš*) — Ammân — Ḥesbân — Mâdabâ — Ḏîbân — *Rabbat Môab* (er-Rabbe) — Aena — Thoana (Têmân) — *Ma'ân* (Petra) — *Êlât.*

2. *Damascus* ..... Gerâš (ut sub 1.) — Gil'âd (Gel'ûd) — *es-Salṭ* (= Gedor ?) — Bêt Nimrâ — *Yerîḥô.*

3. *'Ammân* — Gerâš — Tišbe (Ḫ. Istib) — Pella (Ṭabaḳât Fâḥil) — *Beisân.*

4. *'Ammân* — Yogbehâ (Aǧbêhât) — es-Salṭ — *Adama* (Tell ed-Dâmiye) — Ṭûbâs — *Sichem.*

5. *'Ammân* — Tyrus ('Arâḳ el-Emîr) — W. el-Kefrên — Bêt Nimrâ — *Yerîḥô.*

6. *'Ammân* — El'âle (Ḫ. el-'Âl) — Ḥesbân — Bêt Hârâm (Tell er-Râme) — Bêt Ḥoglâ — *Yerîḥô.*

7. *Salka* (Salḥad) — Boṣrâ — Der'â — Gadara — Ǧišr el-Muǧâmi' — W. el-Bîre — circa Nazareth — Sepphoris — *'Akḳâ.*

N. B. Ut patet, viae hic delineatae alias quoque combinationes habere poterant; praeterea delineationes allatae in nonnullis particularibus nituntur vel hypothesibus vel viis, de quibus demum ex epocha multo posteriore certo constat. Quae cum ita sint, certitudo in hisce est valde diversa

PARS III

PALAESTINA NOVI TESTAMENTI

PRAENOTANDA

§ 68. — Periodus, quae huius partis materiam constituit, cum morte Herodis M. (a. 4 ante Chr.) incipit et cum morte Hadriani Imperatoris (a. 138 p. Chr.) finitur. Divisio Palaestinae in parvos principatus post mortem Herodis M. et completa destructio regni Iudaeorum (a. 135) sub finem vitae Hadriani, — en termini bene praecisi quaestionum, quibus operam dabimus.

In capitibus, quae subsequentur, unice politico-geographica et ethnographica propositae quaestionis elementa adumbrabuntur; reliqua necessario historiae reservantur. Nomina propria — ut subiecta rei materia exigit — in illa forma, sive latinâ, sive graecâ, sive talmudicâ dabuntur, quam fontes *illius* temporis suppeditant.

Materiae ordo hic erit:

C. XII *Fontes et praeambula historica* (§§ 68–73).

C. XIII *Romana Provincia Iudaeae* (§§ 74–91) — [aget de: Idumaea, Iudaea, Samaria, Galilaea et Peraea].

C. XIV *Incolae Provinciae Iudaeae, seu: Iudaei et populi iudaizati* (§§ 92–98).

C. XV *Territoria Palaestinae septentr., ad Syriae Provinciam spectantia, eorumque incolae* (§§ 99–118): — [aget: de Romana Provincia Syriae in genere, de Phoenice, Ituraea et Ituraeis, ac de regno Agrippae II eiusque incolis].

C. XVI *Hellenismus palaestinensis, Decapolis et coloniae Romanae* (§§ 119–131).

C. XVII *Nabataei eorumque regnum*, ab a. 105 post Chr. *Provincia Arabia* (§§ 132–138).

Bibliographia : A. Neubauer, *La géographie du Talmud*, Paris 1868 ; — B. Stade et O. Holtzmann, *Geschichte des Volkes Israel* 2 (1888) 271-674 ; — A. Schulten, *Die Mosaikkarte von Madaba und ihr Verhältnis zu den ältesten Karten und Beschreibungen des hlg. Landes*, 1900 ; — E. Schürer, *Die Geschichte des jüdischen Volkes* 1 (⁴ 1901) 418-507, 2 (⁴ 1907) 1-236 ; — P. Thomsen, *Palästina nach dem Onomastikon des Eusebius*, in ZDPV 26 (1903) 97-141, 145-188 ; — id., *Loca sancta*, Halle 1 (1907) ; — H. Graetz, *Geschichte der Juden* 3 (⁵ 1905) 189-363 ; — A. Jacoby, *Das geographische Mosaik von Madaba*, 1905 ; — O. Holtzmann, *Neutestamentliche Zeitgeschichte*, (² 1906) 88-102 ; — I. St. Riggs, *A History of the Jewish People during the Maccabean and Roman Periods*, London (1906) 179-259 ; — I. Felten, *Neutestamentliche Zeitgeschichte*, I (1910) 19-247 ; I² (1925) 20-261 ; — G. Dalmann, *Orte und Wege Jesu*, ³ 1924.

Tabulae : K. Miller, *Weltkarte des Castorius*, genannt die Peutinger'sche Tafel, Ravensburg 1888 [huc spectant segmenta IX 5, X 1, 2] ; — id., *Mappae mundi*, Die ältesten Weltkarten I-VI (1895-1898) ; — Palmer-Guthe, *Die Mosaikkarte von Madaba* 1 (1906) ; — H. & R. Kiepert, *Formae orbis antiqui*, V Syria, Mesopotamia (1909 cum notis) ; VI Palaestina (1911 cum notis) ; XXXVI *Orbis terrarum sec. Cl. Ptolemaeum* (1911) ; — C. Mommert et E. Wagner, *Schulwandkarte von Palaestina zur biblischen Geschichte* (² 1910) ; — H. Guthe, *Bibelatlas* (³ 1926) Tab. 9-19.

Reliqua, magis specialia, suis locis indicabuntur.

CAPUT XII

Fontes et praeambula historica

§ 69. — **Fontes.** — Principalem geographiae historicae huius epochae fontem constituit

Flavius Iosephus, in omnibus suis operibus, sed praecipue in *Bello Iudaico* (B. I.) III 3, 1–5; IV 8, 2–4, *Antiquitatum* (Ant.) XIII 1, 3 et pluribus aliis locis, qui infra commemorabuntur. (Editionem criticam Iosephi operum B. Niese anno 1887 et ss. paravit). — Praeter Iosephum commemorari debent :

Cl. Ptolemaeus, Γεωγραφικὴ ὑφήγησις; — (ed. C. Müller, *Cl. Ptolemaei Geographia*, Paris 1883, 1901; F. G. Wilberg, *Cl. Ptolemaei Geographiae* l. VI, Essendiae 1845; C. F. A. Nobbe, *Cl. Ptolemaei Geographia* l. VII, Lipsiae 1845).

C. Plinius Secundus Maior, *Naturalis historiae* libri XXXVI; — (ed. L. Ian et C. Mayhoff, 1892–1909).

Strabo, Γεωγραφικά, — (ed. C. Müller, Paris 1853).

Stephanus Byzantius, Περὶ πόλεων, — (ed. L. Dindorf, 1825).

Talmud in tract. M e n a ḥ ô t h IX et aliis (cf. Neubauer, op. cit.)

Inscriptiones antiquae graeco-romanae, in Palaestina inventae (CIS. et CIGr.)

Eusebius, Περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων τῶν ἐν τῇ θείᾳ

γραφῆ, — idem latine reddidit S. HIERONYMUS. (Utrumque ed. KLOSTERMANN sub titulo: *Das Onomastikon der biblischen Ortsnamen*, Berlin 1904).

Notitia dignitatum (ed. O. SEECK, 1876).

Opus mussivum de Madaba (editum a PALMER-GUTHE; vid. supra p. 12).

Tabula Peutingeriana (edita a K. MILLER; vide supra p. 13 s.).

Cf. de hisce P. THOMSEN, *Untersuchungen zur älteren Palästinaliteratur* in ZDPV 29 (1906) 101–132.

Ex *S. Scriptura* huc spectant: 1 et 2 Machabaeorum et Novum Testamentum.

§ 70. — **Praeambula historica.** Descriptio geographica, ethnographica ac politica Palaestinae primi aevi post Chr. satis intricatam et in multis rebus dubiam quaestionem constituit. Nam Palaestina huius temporis, ut imagine utar, " mussivum quoddam opus „ quasi repraesentat, diversis lapillis coloratis distinctum, qui se invicem pervadunt, quique saepe mutantur. Hoc opus mussivum non unius artificis fuit labor, nec effectus unius grandis cuiusdam historici eventus, sed multis ac valde diversis elementis, quae per longiorem temporis decursum in Palaestinae historica scena prodierunt, ut plurimum debetur. Non paucae politicae et historicae revolutiones — quibus enarrandis alibi est locus — maximam territoriorum diversitatem, incolarumque differentes inter se relationes produxerunt. Alia sub ultimis Machabaeis, alia sub Pompeio (c. 63 ante Chr.), alia denique sub Herode Magno (30–4 ante Chr.) fuit Palaestinae politica facies.

Herodes M. namque — ut aliis praetermissis ab eo incipiam — Augusti et Agrippae amicus factus, novis territoriis continuo ab iis donatur. Sic vg. (a. 30) ab ipsis accepit urbes: Ierichuntem, Gadaram, Hippum, Samariam, Gazam, Anthedonem, Ioppen, Turrem Stratonis; — a. 23 provincias: Trachonitidem, Batanaeam, Auranitidem; — a. 20 tetrarchiam Zenodori (i. e. regiones Ulathae, Paniados et terras ad septentrionem maris Tiberiadis sitas). Cum Herodes (a. 4 ante Chr.) moreretur, fines regni eius fuerunt hi: tota fere Palaestina cisiordanica, (excepto districtu urbium Ascalonis et Scythopoleos); deinde (excepta ora maritima cum adiacente regione): terrae a flumine Crocodilon versus septentrionem, fortasse usque ad W. el-Ḳarn, a quo per Gischalam (= el-Gîš) et Kedasam (= Ḳades) limes regni Herodiani versus urbem Dan, et Paneas (= Bâniyâs) pergebat. Ex terris transiordanicis sceptro Herodiano subiectae fuerunt: tota terra inter Ḥermônis radices usque ad Yarmûk (cum districtu urbis Gadarae), et dein provincia Peraea, quae ab urbe Pella usque ad Arnônem extendebatur; (limites exactiores Peraeae cf. infra § 90).

Adeoque regnum Herodis 6 differentes provincias comprehendebat: Idumaeam, Iudaeam, Samariam, Galilaeam, Batanaeam (cum Ulatha, Gaulanitide, Trachonitide et Auranitide) ac denique Peraeam. Sic igitur Herodi contigit, ut iterum sub unius potestatem fere tota Palaestina veniret, exceptis territoriis Decapoleos, antiquae Moabitidis, Phoenices (cum Carmelo) et Ascalonis.

Reliquam partem Palaestinae ad septentrionem occupabant Phoenices, Iṭuraei et Nabaṭaei; — urbs Ascalon erat sui iuris; — pars regionis transiordanicae, cum

districtu Scythopoleos, constituebat autonomas sic dictas civitates Decapoleos ; — in reliqua regionis transiordanicae parte et in Negeb iterum Nabataei dominabantur.

Sed brevi post, Herodis M. regnum in parvos principatus dilapsum est. Causa eius rei ipse regni conditor fuit. Herodes enim numerosae familiae pater erat. Moriens (a. 4 ante Chr.), regnum inter tres ex suis filiis divisit. Archelao Idumaeam, Iudaeam atque Samariam cum titulo regis designavit ; eius fratrem Herodem Antipam Galilaeae et Peraeae tetrarcham praefecit ; Batanaeam (cum Ulatha, Gaulanitide, Trachonitide et Auranitide) suo filio Philippo cum titulo tetrarchae reliquit. Insuper Salomen, sororem suam, urbium Phasaëlidis, Archelaidis, Azoti et Iamniae haeredem scripsit. Augustus Herodis testamentum, paucis mutationibus factis, confirmavit ; vdl. Archelao interim solum titulum ethnarchae concessit et ex eius territorio urbem Gazam cum Raphia (et Anthedone ?) provinciae Syriae adiunxit (Ant. XVII 11, 4 ; B. I. II 6, 3). Similiter a territorio Philippi urbes Hippum et Gadaram separavit, quas Decapoli adiunxit (Ioseph. ibid.).

§ 71. — Post mortem Herodis Palaestina, sensu latiore (simul cum Libano et Antilibano) considerata, quod ad politicam constitutionem et divisionem attinet, in duplex territoriorum genus dispescebatur, vdl. in :

a) *territoria Romanis mediate subiecta*, quae proprios habebant reges vel principes, a Romanis dependentes ; — et in

b) *territoria Romanis immediate subiecta,* quae sive autonomia administrativa praedita, sive eadem privata erant, tamen immediate a Romanis magistratibus dependebant. Utrumque territoriorum genus suas habebat subdivisiones, dependentes a gubernatoribus, quibus subiiciebatur. Hi enim erant: aut reges vel principes (vg. Nabaṭaei, Herodiadae), aut magistratus a concivibus autonomice electi (ut urbium hellenisticarum praesidentes), aut ab auctoritate romana directe constituti (ut legati Augusti propraetore Syriae, procuratores Iudaeae et praesides coloniarum militarium).

In specie, mortuo Herode, in Palaestina novem territoria politice distincta, aderant:

A) Territoria Romanis *mediate subiecta,* quinque; vdl.

4 (quattuor) Herodiadarum: ethnarchia Archelai, possessio Salomes, tetrarchia Herodis Antipae, tetrarchia Philippi; —

1 (unum) Nabaṭaeorum regnum.

B) Territoria Romanis *immediate subiecta* erant quattuor; vdl.

a) urbes maritimae meridionales de Raphia ad Ascalonem; —

b) Phoenice; —

c) Iṭuraeorum regio vdl.: Iṭuraea in Libano, Chalcis, Abilene; —

d) Decapolis, quae licet maiore quam aliae autonomia praedita, tamen in multis a Syriae legatis dependebat.

In hac territoriali divisione duae maiores periodi distingui bene possunt:

I[a] periodus decentralisationis, a morte Herodis M. usque ad mortem Agrippae I regis (4 ante – 44 p. Chr.);

II[a] periodus centralisationis paulatim semper maioris, in qua in Palaestinae scenam magis prodeunt procuratores (44–66 p. Chr.) et legati Augusti pro praetore provinciae Iudaeae (70 – 132 p. Chr.).

§ 72. — **Herodiadae**



Herodiadae administrabant:

Archelaus ethnarcha (4 ante – 6 p. Chr.) — Iudaeam, Idumaeam, Samariam et partem orae maritimae;

Herodes Antipas tetrarcha (4 ante – 39 p. Chr.) — Galilaeam et Peraeam.

Philippus tetrarcha (4 ante – 34 p. Chr.) – Batanaeam et annexas regiones (ut Trachonem, Auranitidem, Gaulanitidem, Ulatham [= Ituraeam S. Lucae]);

Salome (4 ante – 10 p. Chr.) obtinuit urbes: Azotum, Iamniam, Archelaidem, Phasaëlidem;

Herodes Agrippa I rex (37 – 44 p. Chr.) administrabat:

a. 37–39 Batanaeam (cum annexis) et Abilenen;

a. 39–41 „ „ „ Galilaeam et Peraeam;

a. 41–44 „ „ „ „ „ Idumaeam, Samariam, Iudaeam (cum urbibus maritimis [ab Azoto usque Caesaream] et urbibus Archelaide, Phasaëlide), – ergo totum regnum Herodis M.

Herodes minor Rex (41 – 48 p. Chr.) — Chalcidem;

Herodes Agrippa II rex (50 – 100 p. Chr.) administrabat:

a. 50–53 Chalcidem;

a. 53–100 Batanaeam (cum annexis) et Abilenen.

§ 73. — **Magistratus romani in Provincia Iudaea.**

1) Procuratores Iudaeae (6–41, 44–66 p. Chr.)

(a Syriae legatis dependentes).

post Chr.		Regio ab ipso administrata:
6–9	Coponius . . .	1) Iudaea, Idumaea, Samaria. 2) Ora marit. inter Ioppen et Caesaream.
c. 9–12	Marcus Ambivius (Ambibulus) . . .	
c. 12–15	Annius Rufus . .	
c. 15–26	Valerius Gratus .	
26–36	Pontius Pilatus .	
36–37	Marcellus . . .	
37–41	Marullus . . .	1) Iudaea (cum Phasaëlide et Archelaide), Idumaea, Samaria. 2) Ora marit. inter Azotum et Caesaream.

44-? Cuspius Fadus ?-48 Tiberius Alexander 48-52 Ventidius Cumanus	1) Iudaea (cum Phasaëlide et Archelaide), Idumaea, Samaria. 2) Ora marit. inter Azotum et Caesaream. 3) Galilaea, Peraea. 4) Batanaea (cum annexis) et Abilene — (usque ad a. 53. p. Chr.)
52-60 Felix 60-62 Porcius Festus 62-64 Albinus 64-66 Gessius Florus	1) Iudaea (cum Phasaëlide et Archelaide), Idumaea, Samaria. 2) Ora marit. ab Azoto usque Caesaream. 3) Galilaea et Peraea.

66-69 *Vespasianus* 69-70 *Titus*	Duces exercitus in bello iudaico.

2) Legati Augusti "provinciae Iudaeae„ (a. 70 – 132 p. Chr.)

1) "Provincia Iudaea„, a Syria prorsus independens post rebellionem iudaicam (a. 70) facta, comprehendebat:

a) Iudaeam (cum Phasaëlide et Archelaide), Idumaeam et Samariam,

b) Oram maritim. a Raphia usque ad Caesaream (excepta Ascalone ?),

c) Galilaeam et Peraeam.

2) Gubernarunt eam "legati Augusti pro praetore„ ex ordine senatorio, quorum primus fuit S. Vettulenus Cerealis (70 – ?), dein Lucilius Bassus, L. Flavius Silva, M. Salvidenus (c. 80), C. Pompeius Longinus (a. 86)...

Atticus (c. a. 107), Q. Roscius Pompeius Falco (post 107), Tiberianus (post. 112), Lusius Quietus (c. 115)... Tineius Rufus (ante 132), S. Minucius Faustinus Iulius Severus (post 132). — Sub Hadriano (a. 132), titulus officialis " Provinciae Iudaeae „ mutatus est in antiquum, iam ab Herodoto (III 91 ; IV 39 ; VII 89) adhibitum, vdl. : " *Provincia Syria Palaestina* „ — ut distingueretur a " Provincia Syria „ simpliciter nuncupata.

CAPUT XIII

Romana provincia Iudaea

Bibliographia: *a*) S. Merrill, *Galilee in the Time of Christ*, London ⁵1904; — V. Schwöbel, *Die Verkehrswege und Ansiedlungen Galiläas* ... in ZDPV 27 (1904) 1–56, 57–151; — W. Oehler, *Die Ortschaften und Grenzen Galiläas nach Iosephus* in ZDPV 28 (1905) 1–26, 49–74; — S. Klein, *Beiträge zur Geographie und Geschichte Galiläas*, 1909; — cf. etiam ZDPV 35 (1910) 26–40; — idem, *Neue Beiträge zur Geographie und Geschichte Galiläas*, Wien 1923; — W. Mastermann, *Studies in Galilee*, Chicago 1910; — E. Nestle, *Iudäa bei Iosephus* in ZDPV 36 (1911) 65–118; — L. Haefeli, *Samaria und Peräa bei Iosephus* in Bibl. Stud. 18 (1913) Heft 5; — idem, *Geschichte der Landschaft Samaria von 722 vor Chr. bis 67 nach Chr.*, 1922; — idem, *Cäsarea am Meer*, Münster 1923.

b) Dissertationes in Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible: Judée, Galilée, Procurateurs romains* (A. Legendre); *Phénicie* (Vigouroux); *Pérée, Samarie* (Heidet); — Eaedem dissertationes Guthe in Hauck, *Realencyklopädie*; — et Hagen in *Lexico biblico.*

§ 74. — Romana "*Provincia Iudaea*„ post a. 44 p. Chr. constabat stabiliter:

Idumaea, Iudaea, Samaria, Galilaea et Peraea.

A) *Idumaeam, Iudaeam ac Samariam* administrarunt:

Archelaus, ethnarcha	4 ante	—	6	p. Chr.
Procuratores Iudaeae	6 post	—	41	„
Herodes Agrippa I rex	41 „	—	44	„
Procuratores Iudaeae	44 „	—	66	„
Legati Iudaeae	70 „	—	132	„

B) *Galilaeam et Peraeam* administrarunt :

Herodes Antipas tetrarcha	4 ante	—	39	p. Chr.
Herodes Agrippa I rex	39 post	—	44	„
Procuratores Iudaeae	44 „	—	66	„
Legati Iudaeae	70 „	—	132	„

A) — Idumaea.

§ 75. — Nomen. — Idumaea, ἡ Ἰδουμαία (Mc. 3, 8), I° saeculo post Christum non designabat amplius, sicut ante captivitatem, territorium Edomitarum, ad meridiem Palaestinae cis-et transiordanicae situm, sed solum meridionalem partem antiqui regni Iuda, quam (sub pressione Nabaṭaeorum) Edômitae, reliquentes suas antiquas sedes, tempore exilii babylonici occuparunt. Subiugati a Ioanne Hyrcano, vi iudaizati, unum aliquid cum Iudaeis effecerunt ; eorum regio nomen quidem suum Ἰδουμαία retinuit, nihilominus tamen Iudaeae (sensu strictiore) adnumerabatur, et cum ea bona malaque toleravit. Adeoque analogia quaedam inter tribus Iuda : Simeon = Iudaei : Idumaei, adesse facile cernitur.

§ 76. — Fines Idumaeae I° aevo p. Chr. solummodo probabiliter designari possunt : — *a*) Limes meridionalis difficile erui potest ; — forte coincidebat cum limite naturali Palaestinae [adeoque : W. el-Gerâbi — W. el-Ḳênî — W. el-Milḥ — W. Bîr es-Seba' — W. eṣ-Ṣini — Seil eš-Šellâle — W. Ġazze], addito triangulo usque ad Raphiam. R. Kiepert in sua tabula dat limitem merid. Idumaeae multo ampliorem, quem demum forte postea, tamquam pars provinciae Syriae-Palaestinae, ha-

buit. *b*) Idem de limite occidentali dici debet. Theoretice erat: mare Mediterraneum (a W. Ġazze vel Tell Refaḥ ?) Ascalonem inclusive; — reipsa civitates maritimae longo tempore autonomae et sui iuris erant.

c) Limes septentrionalis, Idumaeam a Iudaea dividens, e Iosepho imperfecte describi potest:

Idumaeae etenim a Iosepho adnumerantur urbes: *Masada* (B. I., II 22, 2 = es-Sebbe), *Hebron* (B. I., IV 9, 7 = el-Ḫalîl), *Alula* (Ἄλουρος, B. I., IV 9, 6 = Ḥalḥûl), *Bethsura* (Ant. VII 9, 4 = Beit Ṣûr), *Marisa* (B. I., I 2, 6; Ant. XII 8, 6 = Tell Sandaḥanna ?, Ḫ. Mer'âš ?, ed-Dawâ'ime ?), *Gaza* (Ant. XV 7, 9 = Ġazze), *Ascalon* (Ant. V 1, 22; B. I., II 2, 2 = 'Asḳalân). E contra e Iosepho patet, ad Iudaeam pertinuisse: Thecoam (B. I., IV 9, 5 = Ḫ. Teḳû'a), Bethletepham (B. I., IV 8, 1 = Beit Neṭṭîf), Azotum (B. I., IV 3, 3 = Esdûd) et Iamniam (Ant. XII 7, 4 = Yebnâ).

Adeoque limes septentrionalis Idumaeae verisimiliter ibat: inter Azotum et Ascalonem, dein per W. eḍ-Ḍahr et W. es-Sanṭ (ad N de Beit Ǧibrîn), deinde per valles: W. el-'Arrûb, W. el-Ġâr, W. el-'Arêǧe usque ad Engaddi (= 'Ain Ǧidî), qui locus tamen ad Iudaeam spectabat.

d) Limes orientalis mari Mortuo definiebatur, ab Engaddi usque ad W. el-Ǧerâbi (?).

Primis saeculis post Chr. Palaestina meridionalis nomen *Daromae* (ὁ Δαρωμᾶς, in Talmud: *Dârômâ*, *Dârômtâ*) habuit. Limites accuratos Daromae assignare difficile est. Constat solummodo, regionem, quae inter Gazam et mare Mortuum est, Daromae nomine insigniri consuevisse. Si Onomasticon Eusebii consulitur, plures urbes Negebi, Šefelae et montium Iuda (Ios. 16, 21–23), Daromae adnumerata fuisse, patebit; — adeoque Daroma in pluribus cum Idumaea Iosephi coincidit.

§ 77. — Urbes et oppida Idumaeae.

Fontes initio citati (N. T., Iosephus, Ptolemaeus, Strabo, Eusebius-Hieronymus, Talmud et alii) plura huc spectantia afferunt. Saltem nonnulla (ordine alphabetico) cognoscere expedit (1).

Adora (Ἄδωρα, Ἀδωρεός = Dûrâ).

Alula (Ἄλουρος = Ḥalḥûl).

Anthedon (Ἀνθηδών, Ἀγριππιάς = Têdâ, el-Blâḫiyye ?).

Arydda (Ἄρυδδα = Ἰορδά, Ἰάρδης δρυμός ? = Tell ʿArâd ?).

Ascalon (Ἀσκάλων, אשקלון; portus = ʿAsḳalân ; urbs = el-Meǧdel).

Belzedec (Βελζεδέκ = Tell el-Ḥesî, Beit Lâhyâ ?, W. Ṣendûḳe ?).

Bersabee (Βηρσουβαί, Βηρόσσοβα, Berzama = Bîr es-Sebaʿ).

Bethgabris (Betogabri, Βήταβρις, Βαιτογαβρει, בית גיברין, dein Ἐλευθερόπολις = Beit Ǧibrîn).

Bethsura (Βηθσοῦρα [-ος] = Beit Ṣûr).

Caphar Barucha (Καπαρβαριχά = Benî Naʿîm ?, Kefr Berêk ?).

Caphar Gamala (Καφαργαμαλά = Ǧemmâlâ ?, Beit eǧ-Ǧemâl ?).

(1) Nomina hic et deinceps afferuntur sec. formam fontium ; — in quibus primus locus datur Scripturae S., ipsa deficiente, forma adhibita a Iosepho, Ptolemaeo, Eusebio-Hieronymo praefertur. Nomina talmudica dantur sine punctis vocalium ; graeca, ubi de accentu *non certo* constat, sine accentu afferuntur ; arabica, quae nunc sunt aequivalentia, seriem totam claudunt. — Si insuper vicus quidam in N. T. occurrat, loci hi citantur. Cum vero de nonnullis oppidis, hic et in subsequenti enumerandis, notitia demum e fontibus primo saeculo posterioribus habeatur, monuisse sufficiat statim ab initio, non semper certo constare, utrum hic aut ille locus iam 1° saeculo post Chr. exstiterit, an demum posterioris sit originis (e saec. II – V).

Ceila (Κήλα, Κίλλα, קְעִילָה = Ḫ. Ḳîlâ).

Chaallis (Χάαλλις = Σααλείμ = ʿArâḳ el-Menšiyye ?, Ǧûlis ?).

Chapharchobra (Χαφαρχοβρα = el-Ḳufîre ?).

Charabin (Χαραβίς, Καφαραβίς = כפר ביש = Ḫ. el-Biss).

Gaza (Γάζα, עזה = Ġazze ; — Act. 8, 26).

Hebron (Χεβρών, Γιβρών, ʾΕβρών, חברון = el-Ḫalîl).

Iethira (ʾΙέθειρα = Ḫ. ʿAttîr).

Kefar Dikrîn (כפר דכרין = Γιτθά [Gath] = Ḏikrîn ?).

Kefar Ṭabî (Καφάρτοβα, כפר טבי = Terḳûmiyâ ?).

Malatha (Moladab, Μάλαθα, Μωλαδά = Ḫ. el-Milḥ ?, el-Ḳusêfe ?).

Marisa (Μάρισα = Tell Sandaḥanna ?, H. Merʿâš ?, ed-Dawâʾime ?).

Masada (Μασάδα = es-Sebbe).

Medemena (Menois, Madebena, Madmanna, Μηδεβηνά = Mayûmas ?, Maimâs, el-Mîne ? vel Mâʿîn, SSW de Gaza).

Odollam (ʾΟδολλάμ, ʾΑδολάμ = Ḫ. ʿÎd el-Miyye ?).

Oresa (Θρῆσα, ʿΡῆσα, חרשה = Ḫ. Ḫorêsâ ?, Ḫ. Ganâim ?, Ḫ. Istabûl ?).

Photis (Φωτίς = Ḫ. Fuṭeis).

Raphia (ʿΡάφεια = Tell Refaḥ).

Soccho (Σοκχώ, סוכו = Ḫ. Šuweike).

Sycamazon (Συκαμαζών = Ḫ. Sûḳ Mâzen).

Tephon (Τεφών, Τοχόαν, Θαψα = Taffûḥ).

B). — Iudaea.

Cf. E. Mader, *Altchristliche Basiliken und Lokaltraditionen in Südjudäa*, Paderborn 1917.

§ 78. — Nomine Iudaeae [(ἡ) Ἰουδαία], aevo primo post Chr., tria diversa designari solebant: *a*) sensu latissimo provincia Romana (Lc. 1, 5), administrata a procuratoribus, dein a legatis, de cuius finibus sermo infra (§ 91 ad finem) erit; *b*) sensu lato meridionalis pars Palaestinae cisiordanicae, prout distincta a Samaria et a Galilaea (B. I. III 3, 1–5). — *c*) sensu stricto regio, quae inter Samariam et Idumaeam est, cum quā (Idumaea) regio Iudaeae a tempore Ioannis Hyrcani semper iuncta est (Ant. XIII 9, 1). Hic de Iudaea sensu stricto sermo erit.

§ 79. — Fines Iudaeae.

a) Limes meridionalis cum Idumaeae limite septentrionali communis fuit (cf. § 76 c), adeoque currebat inter Azotum et Ascalonem, dein per W. eḍ-Ḍahr — W. es-Sanʿ (N. de Beit Ǧibrîn), dein per valles W. el-ʿArrûb, W. el-Ǧâr, W. el-ʿArêğe usque ad Engaddi (inclusive).

b) Limes occidentalis theoretice erat mare Mediterraneum de regione ad meridiem de Nahr Sukrêr ad Nahr el-ʿAuǧâ; cum tamen districtus urbium maritimarum (Azoti et Iamniae) autonomi fuerint, ideo reapse Iudaeae territorium per longum tempus tangebat mare solum inter Nahr Rûbîn (= antiq. Sôreḳ) et Nahr el-ʿAuǧâ.

c) Limes septentrionalis, Iudaeam a Samaria dividens, sec. Iosephum transibat per loca quae appel-

labantur: *Coreae* (B. I. I 6, 5 = Ḳarâwâ), *Acrabatta* (B. I. II 12, 4 = el-'Aḳrabe), *Anuath Borcaeus* (1) (B. I. III 3, 5 = 'Ain Berḳît); a Talmude adnumeratur Iudaeae adhuc *Antipatris* (= Ḳal'at Râs el-'Ain). Adeoque (sec. tabulas Guthe n. 14 et R. Kieperti 1911) limes hic — ceteroquin satis naturalis — probabiliter currebat a Nahr el-'Auǧâ per W. Rabaḥ, W. Dêr Ballûṭ, W. Iš'âr, prope 'Ain Berḳît, per locum 'Aḳrabe, per regionem, quae inter Yânûn et Ta'nâ est, usque ad Râs Umm Ḥarrûbe, Karâwâ, W. Fâr'a ad Iordanem.

d) Limes orientalis erat: Iordanes (a W. Fâr'a [vel Yabbôḳ ?] usque ad ostium), dein mare Mortuum fortasse usque ad Engaddi (B. I. III 3, 5 = 'Ain Ǧidî).

§ 80. — Territorium Salomes. Intra Iudaeae fines erant urbes *Phasaëlis*, *Archelais Azotus*, *Iamnia* cum suis districtibus (Ant. XVII 11, 4–5; B. I. II 6, 3), quas mortuo Herode eius soror Salome [simul cum palatio privato Herodis in urbe Ascalone et 500.000 siclor. argenti] in suam privatam possessionem accepit, quae proinde a iurisdictione Archelai et procuratorum exemptae erant. Salome moriens (c. a. 10 p. Chr.) haeredem suam scripsit Liviam imperatricem (Ant. XVIII 2, 2; B. I. II 9, 1), post cuius mortem hae urbes videntur proprietatem privatam Tiberii Caesaris constituisse, qui Iamniae suum ἐπίτροπον praefecit. Mortuo Tiberio (a. 37 p. Chr.) Azotus et Iamnia iunctae sunt cum Gaza, ac provinciae Syriae immediate

(1) Nomen hoc graecum fortasse ex aram. 'ênewât (ḥânewât) Borḳay originem ducit = fontes (diversoria) de Borḳay, adeoque hodierno 'Ain Berḳît bene respondet.

subditae, Phasaëlis vero et Archelais territorio iudaico restitutae et a procuratoribus administratae. Postquam a. 41 Herodes Agrippa I provincia Iudaea potitus est, etiam urbes maritimae (excepta Ascalone usque Raphiam) ipsi videntur fuisse datae. Quem rei statum dein procuratores haereditarunt.

§ 81. — Urbes et oppida Iudaeae.

Accaron (Ἀκκάρων = ʿÀḳir).

Acrabatta (Ἀκραβαττά, Ἀκραββείν, עקרבה = el-ʿAḳrabe).

Adida (Ἀδδιθα, חדיד = el-Ḥadîṯe).

Ain (Αἰν, Ναΐν = ʿAin Fâra ?).

Alexandrium (Ἀλεξάνδριον = Ḳarn Ṣarṭabe).

Anathoth (Ἀναθώθ, ענת = ʿAnâtâ).

Anuath Borcaeus (ἡ Ἀνουάθου Βόρκαιος, ברקתא = ʿAin Berḳît).

Antipatris (Ἀντιπατρίς [Πηγαί ?], אנטיפטרס = Ḳal'at Râs el-ʿAin ; — Act. 23, 31).

Apheca (Ἀφεκοῦ πύργος = Meğdel Yâbâ ?).

Archelais (Ἀρχελαΐς = Ḫ. el-Beyûdât, N. de Ḫ. el-Auğe et-Taḥtânî cum Ḫ. el-ʿAuğe el-Fôḳâ ?).

Arimathaea (Ἀριμαθαία, [= Ἀρμαθαίμ ? = Ῥαμαθαίν] = Rentîs ; — Mt. 27, 57 ; Mc. 15, 43 ; Lc. 23, 51 ; Ioh. 19, 38).

Azotus (Ἄζωτος = Esdûd ; — Act. 8, 40).

Bethagla – Beth Hogla (Βηθαγλά = Ḳaṣr Ḥağla).

Bethania ad montem Oliveti (Βηθανία, בית חוני = N. W. de el-ʿÀzariyye ; — Mt. 21, 17 ; 26, 6 ; Mc. 11, 1. 11. 12 ; 14, 3 ; Lc. 19, 29 ; 24, 50 ; Ioh. 11, 1. 18 ; 12, 1).

Bethel (Βήθηλα, ביתאל = Beitîn).

Bethleem (Βηθλεέμ = Beit Laḥm; Mt. 2, 1. 5. 6. 8. 16; Lc. 2, 4. 15; Ioh. 7, 42).

Bethletepha (Βεθλεπτηνφά [= Ηέλλη ?], בקעת בית נטופה = Beit Neṭṭîf).

Bethoannaba (Βετοαννάβα = ʿAnnâbe).

Bethoron (Βηθωρών, בית חורון = Beit ʿÛr el-Fôḳâ, Beit ʿÛr et-Taḥtâ).

Bethphage (Βηθφαγή = Kefr eṭ-Ṭûr??, vel potius ex orientali parte montis G. eṭ-Ṭûr in Râs eš-Šiyâḥ; — Mt. 21, 1; Mc. 11, 1; Lc. 19, 29).

Bethsemes (Βαιθσμάς = ʿAin Šems).

Bethzacharia (Βεθζαχαρία = Ḫ. Beit Zakâriyâ).

Bêt Rîmâ (בית רימא = Beit Rîmâ).

Bettir – Bêttar (Βαιθήρ, Βαιθθήρ, ביתר = Bittîr, rsp. Ḫ. el-Yehûd).

Berzetho (Βηρζηθώ = Bîr ez-Zeit).

Capharsalama (Καφαρσαλαμᾶ = Salame??).

Caphira (Καφιρά = Kefîre).

Cedron (1 Mach. 15, 39) = *Gedêrôt* (Ios. 15, 41; 1 Par. 28, 18) = Γαδαρίς = Ḳaṭra).

Coreae (Κορέαι = Ḳarâwâ).

Cyprus (Κύπρος = Beit Ǧabr?, Ḫ. Ḳâkûn?).

Dagon (Δαγών = Δώκ [1 Mach. 16, 15] = G. Ḳaranṭel [antiq. Ǧ. ed-Dûḳ]?, ʿAin Dûḳ?).

Eduma (Ἐδουμά = Dôme).

Emmaus 1. (Lc. 24, 13: Ἐμμαούς = el-Ḳubêbe [el-Iḳbêbe]?, Abû Ġôš? = Emmaus 2?, vel Emmaus 3?).

Emmaus 2. (B. I. IV 8, 1: Ἀμμαοῦς [= Νικόπολις], אמאום = ʿAmwâs; — 1 Mach. 3, 40. 57; 4, 3).

Emmaus 3. (B. I. VII 6, 6: Ἀμμαοῦς = Ḳalôniye).

Engaddi (Ἐγγαδαί [-δί, -δά], עין גדי = ʿAin Ǧidî).

Ephrem (Ἐφραίμ [= Ἀφαίρεμα ?], עפרים = eṭ-Ṭayyibe ; — Ioh. 11, 54).

Etam (Ἠτάν, עין עיטם = Ḫ. vel ʿAin ʿAṭân).

Gabaon (Γαβαών = el-Ǧîb).

Gabath Saulis (Γαβὰθ Σαούλ = Tell el-Fûl?, Ḫ. es-Sikke?).

Galgala – Gilgal (Γάλγαλα = Tell Ǧelǧûl prope Erîḥâ, vel ʿAin el-Ġarabe).

Gazara (Γάζαρα [= Γάδαρα ?] = Tell Gezer).

Gophna (Γόφνα, גופנא = Ǧifnâ).

Herodium (Ἡρώδειον = Ǧ. Ferdês [Fureidîs]).

Iamnia (Ἰάμνεια, יבנה = Yebnâ).

Iericho (Ἰεριχώ, Ἰεριχοῦς, יריחו = Telêl el-ʿAlaiḳ [W. de Erîḥâ] ; — Mt. 20, 29 ; Mc. 10, 46 ; Lc. 10, 30 ; 18, 35 ; 19, 1 ; Hebr. 11, 30).

Ierusalem [-solyma] (Ἱερουσαλήμ [Ἱεροσόλυμα], Αἰλία, Aelia = el-Ḳuds ; — commemoratur 83 vicibus in N. T.).

Ioppe (Iope, Ἰόππη, Ἰόπη, יפו = Yâfâ ; — Act. 9, 36–43 ; 10, 5. 8. 23. 32 ; 11, 13).

Isana (Ἰσάνα = ʿAin Sînyâ ?, Burǧ el-Isâneh ?).

Kôzebâ (כוזבא 1 Par. 4, 22 = Ḫ. Kuwêziba).

Lydda (Λύδδα, Διόσπολις, לוד = Ludd ; — Act. 9, 32. 35. 38).

Machmas (Μαχμᾶς, מכמס = Muḫmâs).

Maspha[tha] (Μασφά[θα], Μασσηφά, מצפה = en-Nebi Samwîl ?, Tell en-Naṣbe ?).

Modin (Μωδεείν, מודיעים = Midye).

Neara (Naëran, Νεαρά, Ναραθά, Νοορά θ, נערן = ʿAin Dûḳ, Ḫ. el-ʿAuǧe el-Fôḳâ ?).

Ono (Ὤν, Ὄνους, אונו = Kefr ʿÂnâ).

Phasaëlis (Φασαηλίς = Ḫ. Faṣâ'il).

Rama (Ῥαμά = Ḳubbet Râḥîl ?, er-Râm ? ; — Mt. 2, 18).

Saphir (Σαφείρ, Σαφαρεα [= כפר סיפוריא ?] = Ṣawâfîr).

Silo (Σηλώ, שילה = Seilûn).
Siloam (Σιλωάμ = Kefr Silwân ; — Lc 13, 4 ?).
Sores (Σωρής = Sârîs).
Thamna 1. (Θαμνά = Tibne).
Thamna[tha] 2. (Θαμνα[θά], תבנה = [Timnat Seraḥ] = Ḫ. Tibne ; sec. alios Kefr Hâris ?, Ḫ. el-Faḥâḥîr ?).
Thecoa (Θεκωά, [-ωέ, -ουά], Θεκώ, תקוע = Ḫ. Teḳû'a).
Tormasia (תורמסיא = Turmus 'Ayyâ).
Zarea (Σαραά = Ṣar'a).

§ 82. — Divisio politica et administrativa Iudaeae et Idumaeae.

Iosephus (B. I. III 3, 5 et Plinius (Hist. Nat. V 14, 70) testantur, Iudaeam (et Idumaeam) fuisse divisam in 11 toparchias (τοπαρχίαι, κληρουχίαι), quarum sedes (μητρόπολις) fuerunt: Ierusalem, Gophna, Acrabatta, Thamna[tha] (Timnat Seraḥ = Kefr Hâris aut Ḫ. el-Faḥâḥîr), Lydda, Ammaus (= 'Amwâs), Pella (i. e. Bethletepha = Beit Neṭṭîf), Idumaea (tota provincia, cum sede prob. in Ḥebrôn), Engaddi, Herodium, Iericho. — Variantes, allatae a Plinio (l. c.), minus rectae sunt.

Haec divisio imprimis ad scopum fiscalem instituta est et probabiliter Romanis (sub Cassio ? a. 43 a. Chr.) debetur (1), licet negari nequeat, analoga exempla ex aevo

(1) Iam Gabinius ante a. 57 a. Chr., postquam Hyrcanum II omni civili potestate privavit, territorium iudaicum in 5 districtus (σύνοδοι, συνέδρια) divisit, quorum centra fuerunt urbes : *Ierusalem*, *Gazara* (= Tell Ǧezer), *Iericho*, *Amathus* (= Tell 'Amtâ) trans Iordanem et *Sepphoris* (= Ṣaffûriye) in Galilaea (Ant. XIV 5, 4 ; B. I. I 8, 5). Non satis constat, quem finem hae σύνοδοι habuerint. Probabilius fuerunt

Salomonis (cf. § 61) et Demetrii II (c. 175 ante Chr.) nota esse (1). Utrum cum toparchiis etiam politice distincta administratio sit iuncta nec ne, non constat.

C) — **Samaria.**

§ 83. — Nomen et Limites.

Destructo regno Ephraim, nomen Samariae (Σαμαρία, Σαμαρεῖτις), quo aliquoties totum hoc regnum septentrionale in Scriptura (3 Reg 13, 32; Os cc. 8; 10; 14; Am. cc. 3; 4; 6; 8) designabatur, exclusive ad denotandam eam provinciam, cuius princeps urbs Samaria fuit, reservatum est.

Aevo Christi provinciae Samariae *limites* hi fere fuerunt:

a) Limes meridionalis idem ac septentrionalis Iudaeae (cf. § 79, c);

b) occidentalis: littus maris Mediterranei de Nahr el-'Auǧâ usque (probabiliter ad flumen Crocodilon (Nahr ez-Zerḳâ), nam Carmelus teste Iosepho (B. I. III 3, 1) ad Tyrios spectabat (2).

„ conventus iuridici „ Romanorum in provinciis; non est exclusum, eos simul tributis exigendis inserviisse. Divisio haec Gabinii a Caesare est sublata.

(1) Conf. 1 Mach. 11, 34 + 10, 30. 38; 11, 28. 57.

(2) Iosephus quidem (B. I. III 3, 5) affirmat, ad Iudaeam spectavisse totam oram maritimam usque ad Ptolemaidem (= 'Akkâ); — sed haec phrasis potius indicat, in urbibus littoris (praecipue Caesareae) Iudaeos colonias possedisse maiores et inde etiam emolumenta commercialia maiora, non vero oram maritimam politice et administrative ad Iudaeos spectavisse. Hoc patet ex divisione Iudaeae in topar-

c) Limes septentrionalis Samariae accurate determinari non potest. Etenim loquendo de Samaria et de Galilaea (l. c.), Iosephus non satis clare vel saltem non eodem modo loquitur.

Carmelus spectabat ad Phoenicem, ad Tyrios (B. I. III 3, 1); Samareitis incipiebat ab urbe Γηνεώς [alibi Γινάη, Γιναία] (B. I. III 3, 4) = Ǧenîn; galilaicae urbes, in confinio meridionalis limitis sitae, fuerunt: Γαβαά (B. I. III 3, 1 = prob. *Šeiḫ Abrêk*), Βησάρα (Vita n. 119 ss. = prob. *Ḫ. el-Bêḍâ*), Σιμωνιάς (Vita n. 24 = *Semûniye*), Ἴαφα (Vita 45; B. I. II 20, 1 = *Yâfâ*), Ἐξαλώθ (Ξαλώθ, Vita 44; B. I. III 3, 1 = *Iksâl*), Δαβάριττα (Vita 62; B. I. II 21, 3 = *Debûriye*); τὸ Ἰταβύριον ὄρος (Tabor, B. I. IV 1, 4 = *Ǧ. eṭ-Ṭôr*), denique Τιβεριάς (= Ṭabariyya), quae 30 stadiis distabat a limite Galilaeae i. e. a finibus urbis Decapolitanae Σκυθόπολις (B. I. III 9, 7 = Beisân). — Si igitur ex una parte Iksâl, ex alia Ǧenîn, urbes Galilaeae et Samariae limitrophae erant — planities Esdrelon ad quam provinciam pertinebat? Non constat. Fortasse a privatis tenebatur — [Berenike, teste Iosepho (Vita 24), ibi sua horrea possidebat]. — Forte etiam pars meridionalis planitiei ad urbes Samariae, septentrionalis ad urbes Galilaeae spectabat, ut supponit W. Oehler (*Die Ortschaften und Grenzen Galiläas* ZDPV 28 [1905] 67). In tali casu fluvius Nahr el-Muḳaṭṭa' facile naturalem limitem constituere potuit.

Omnibus consideratis, limes septentrionalis Samariae probabiliter sequebatur Nahr ez-Zerḳâ radicesque SE Carmeli, dein fluenta Nahr el-Muḳaṭṭa' ac radices N et NE montis Ǧ. Fuḳû'a, probabiliter (sec. Guthe) usque

chias, ubi ora maritima, Samariae adiacens, negligitur. Eo ipso vero, quod Carmelus ad Tyrios pertinebat, ora maritima usque ad Ptolemaidem non potuit ad Iudaeos spectare. Sec. Plinium (H. N. V 12) demum post rebellionem iudaicam (a. 73 p. Chr.) littus maritimum Samariae est iunctum. — Fieri etiam potest, ut Iosephus generalius vocem Iudaeae pro antiqua Archelai ethnarchia illo loco adhibeat, et tunc recta dixit.

ad W. el-Mâliḥ et Iordanem. — R. Kiepert (*Formae orbis antiqui*, tab. VI, notae) limites Samariae nimis restringit in commodum Galilaeae ; argumentum e Ptolemaeo ad summum de tempore multo posteriore (de II saeculo p. Chr.) valet.

d) Limes orientalis Samariae constituebatur Iordane, prob. a W. el-Mâliḥ usque ad ostium W. Kefrinǧî vel N. de ez-Zerḳâ.

§ 84. — Urbes et oppida Samariae.

Aphraea (Ἀφραία = Ḫ. el-Fâriyye).

Apollonia (Ἀπολλωνία, יישוב ? = Arsûf).

Arima (Ἀριμά) = Ruma (Ῥουμά) = Remphthis [Ῥεμφ(θ)ίς] ? = el-'Orme ?).

Ataruth (Ἀταρούθ = 'Aṭṭârâ).

Bethacath (Βαιθακάθ = Beit Ḳâd).

Bethsarisa (Βαιθσαρισά = Ḫ. Kefr Ṯilṯ).

Betulua (i. e. Bethulia, Βαιτούλια, Βαιτουλουά = Miṭiliyye?).

Caesarea Palaestina (Καισάρεια Σεβαστή, K. ἡ Στράτωνος, K. τῆς Παλαιστίνης ; portus Σεβαστὸς λιμήν, קיסרי = antea *Turris Stratonis*, Στράτωνος πύργος = Ḳaisâriyye ; — Act. 9, 30 ; 12, 19 ss. ; 18, 22 ; 21, 8-16 ; 25, 13.

Caparcotia (Καπαρκότια, Καπαρκότνει, כפר עותנאי = Kefr Ḳûd).

Capharsaba (Καφαρσαβά = Kefr Sâba).

Cimona (Καμμωνά = Tell Ḳaimûn).

Dothaim (Δωθαείμ = Tell Dôṯân).

Esdraela (Ἐσδραηλά = Ἰεζραέλ = Zer'în).

Galgulis (Γαλγουλίς = Gilǧûliye).

Gelbus (Γελβοῦς = Fuḳû'a, vel Ǧelbôn).

Getta (Γίττα[-τθα] = Gethonum vicus? = Ḳaryet Ǧît).
Ginaea (Γιναία, Γινάη, Γηνεώς = Ǧenîn).
Legio (Λεγεών = Kephar Othnay = el-Leǧǧûn ?, fortasse in W. ʿÂrâ ?).
Mageddo (Μαγεδώ, Μαγαδδώ = Tell el-Mutesellim).
Maximianopolis (Μαξιμιανούπολις = Rummâne ?, el-Leǧǧûn ?).
Merrus (Μερρούς = Ḫ. el-Maḥrûne).
Neapolis Flavia (Φλαυία Νεάπολις) = Mamortha (Μαβαρθά), מברכתא = Nâbulus).
Pentacomia (Πεντακωμιά, פנדקא = el-Fandaḳûmiye).
Pharathos (Φαραθώς, Φραθών = Farʿatâ).
Salêm (Σαλήμ, Salumias, בפר שלם = Tell el-Ridǧâ, aut Weli Šeiḫ Sâlim, [cf. § 126]; — Ioh. 3, 23 ?).
Samaria (Σαμάρεια, שמרון) = *Sebaste* (Σεβαστή, סבסטי) = Sebasṭiyye; — Lc. 17, 11; Ioh. 4. 4–9; Act. 1, 8; 8, 1. 5. 9. 14; 9, 31; 15, 3).
Sichem (Συχέμ, שכם) = *Sicima* (Σίκιμα) = Balâṭa; — Act. 7, 16).
Sychar (Συχάρ, עין סוכר ? = ʿAskar; — Ioh. 4, 5).
Thaanach (Θαανάχ = Taʿannak).
Tharsa (Θαρσά, תרשה = Ṭallûza ?)
Thebes (Θήβης, Θῆβαι = Ṭûbâs).
Thena (Θηνά, תאנת שילה = Taʿnâ).

§ 85. — Littus maritimum Idumaeae, Iudaeae et Samariae.

Pompeius a. 63 totam oram maritimam Palaestinae (a Raphia usque ad Doram) cum aliis urbibus hellenisticis trans Iordanem, Aristobulo II ademit et haec omnia provinciae Syriae adiunxit, ita tamen, ut singulas civitates

amplissima autonomia administrativa ornaverit. Politica administratio earum fuit haec :

Ab a. 63 ante Chr. totum littus (a Raphia ad Doram inclusive) in potestate ac ditione directa Romanorum fuit. Caesar quidem a. 44 Iudaeis Ioppen et finitimum littus maritimum reddiderat, sed iam post decem annos (a. 34) Antonius, Asiae dominus factus, totam Palaestinae oram maritimam suae amasiae Cleopatrae dono dedit. — Mortuis Antonio et Cleopatra, Augustus a. 30 Gazam (cum Raphia ?), Anthedonem, Ioppen Apolloniam et Turrem Stratonis, Herodi M. restituit, seu — excepta Ascalone — totam oram maritimam usque ad Doram (exclusive) ipsi dedit ; insuper urbes Gadaram, Hippum, Ierichuntem ei adiunxit. Hic status usque ad a. 4 ante Chr. permansit.

Mortuo Herode M., tres periodi in administratione politica orae maritimae palaestinensis distingui possunt :

I periodus (4 ante — 37 p. Chr.) :

1. *Raphia*, *Anthedon*, *Gaza*, *Ascalon* sub legatis Syriae erant.

2. *Azotus et Iamnia* 4 a.–10 p. Chr. propriet. Salomes.
10 p.– ? „ Liviae.
? –37 „ Tiberii.

3. *Ioppe*, *Apollonia*, *Caesarea* constituebant partem integralem Provinciae Iudaeae toto tempore.

II periodus (37–41 p. Chr.) ;

1. *Raphia*, *Anthedon*, *Gaza*, *Ascalon* } sub legatis
2. *Azotus et Iamnia* } Syriae.

3. *Reliquum orae* (Ioppe usque Caesaream) ad Provinciam Iudaeaem (ab a. 41 p. Chr.) pertinebat.

III periodus (41–132 p. Chr.).

Totum littus a Raphia usque Caesaream sub rectoribus Iudaeae (rege Agrippa I, procuratoribus et legatis Iudaeae) erat; etiam Ascalon, licet cum maiore autonomia.

N. B. — Littus maritimum, a Crocodilon flumine versus septentrionem, ad Phoenicem (seu ad Provinciam Syriam) spectabat.

D). — Galilaea.

Bibliographia : A. Neubauer, *La géographie du Talmud*, Paris 1868 pp. 177–240; — V. Guérin, *Galilée*, Paris 1880 t. I. II.; — S. Merrill, *Galilee in the time of Christ*, Boston 1881; London 1885; [5] 1904. — *The Survey of Western Palestine. Memoirs* ... By C. R. Conder and H. H. Kitchener, vol. I: Galilee; London 1881; — Thomson, *The Land and the Book. Central Palestine and Phoenicia*, London 1883; — H. Guthe, *Galiläea* in Realenc. f. prot. Theol. [3] VI (1899) p. 336–344. — cf. etiam bibliographiam p. 176.

§ 86. — Nomen et Limites.

Galilaea, ἡ Γαλιλαία (ex גָּלִיל circulus, districtus), non semper eosdem fines in V. T. habuit. Initio districtum Palaestinae septentrionalis, circa Ḳedeš in Nephthali, a gentilibus magna ex parte habitatum, designabat (Ios. 20, 7; 3 Reg. 9, 11; Is. 8, 23); adeoque גְּלִיל הַגּוֹיִם = " districtus gentilium „. Postea illud additum הַגּוֹיִם omissum est; regio vero simpliciter הַגָּלִיל vel הַגְּלִילָה appellata et ad finitimam plagam extensa est.

Limites Galilaeae in N. T. sec. Iosephum hi statui possunt :

a) A meridie : limes communis cum Samaria, de Gaba (= Šeiḫ Abrêk) ad Yizre'êl (Esdraela = Zer'în;

cf. supra pag. 198) — et deinde fines magni districtus Scythopoleos (= Beisân; B. I. III 9, 7), qui a Guthe lineâ curvâ ab ʿAin Ǧâlûd usque ad ostium W. el-Aḥmâ in Iordanem assignantur, id quod a Iosepho non discrepat, qui Ὁμόνοιαν (= prob. Sahl el-Aḥmâ) Galilaeae adnumerat (Vita 54). — Alii alia proponunt.

b) Limitem orientalem constituebat parva Iordanis pars, dein lacus Gennesar, — appellatus in N. T. etiam " lacus Galilaeae „ (Mt. 4, 18; 15, 29; Mc. 1, 16; 7, 31; Ioh. 6, 1), " lacus Genesareth „ (Lc. 5, 1) et " lacus Tiberiadis „ (Ioh. 6, 1; 21, 1) — cum Tiberiade (B. I. III 3, 1), Iordanes usque ad Thellam, (quae fortasse eadem est atque et-Telêl [ad occid. ripam lacus el-Ḥûle]), et occidentalis ripa lacus el-Ḥûle = Σεμαχωνῖτις λίμνη (cf. W. Oehler l. c. p. 68. 69). Vallis Iordanis superioris, hodie Arḍ el-Ḥûle = Οὐλάθα (Antiq. XV 10, 3), cum Gaulanitide iam ad Agrippae II regnum spectabant (B. I. II 12, 8). —

c) Septentrionalis limes accurate designari nequit. Cum Κέδασα (= Ḳades) iam ad Tyrios (B. I. IV 2, 3), Γίσχαλα (= el-Ǧîš) vero ad Galilaeam pertineret (B. I. IV 2, 1 ss.), limitem fuisse inter has urbes concludendum est. Situs oppidi (Baka, Βάκα) quod alium limitem Galilaeae a septentrione (a NW?) constituebat (B. I. III 3, 1), est ignotus; a nonnullis (vg. Guthe) quaeritur in Tell Belâṭ, a Klein; in oppido ad radices montium sito, vdl. in Têr Bîḥâ; a Dalman (Orte p. 209 s.) in vico Germaḳ, etiam el-Baḳʿa appellato; ab aliis (Buhl) denique minus probabiliter in Ḫ. eṭ-Ṭabaḳa cernitur. —

d) Limitis occidentalis urbes assignantur a Iosepho: pro Galilaea superiore Μηρώθ (B. I. III 3, 1),

quod difficulter potest esse idem ac Μηρώ [Ἀμηρώθ] = Meirôn (?). Pro Galilaea inferiore ibidem tq. limes occident. affertur: Χαβωλώ = Kâbûl (ESE de ʻAkkâ). Breviter: occidentales radices montium galilaicorum limitem occidentalem Galilaeae inferioris constituebant. — Galilaeae vero superioris (de qua statim), sec. Dalman (l. c. p. 210) limes occidentalis erat linea de Kefr ʻAnân versus septentrionem tendens per locum Bêt Ǧânn (= Beth Dagan Talmudi), per occidentales radices montium Ǧ. Ǧermaḳ et tandem versus initia vallis W. ʻAubâ, quae W. Fâra vocantur. Haec vallis W. Fâra — W. ʻAubâ (sec. Dalman) constitueret limitem septentrionalem Galilaeae superioris. Adeoque Galilaea superior totum complexum montium Ǧ. Ǧermaḳ in se includebat, et ad eum fortasse restricta erat.

§ 87. — Divisio Galilaeae.

Galilaea, cuius saepius (54 vicibus) meminit N. T., teste Iosepho (B. I. III 3, 1), in superiorem et inferiorem (ἄνω, κάτω Γαλιλαία) dividebatur, quae tamen divisio non respondet antiquae (partim tantum ideali) divisioni V. Test., — sec. quam Galilaea superior (τῆς Γαλιλαίας τὰ καθύπερθεν) usque ad Libanum et fontes Iordanis (Ant. V 1, 22) extendebatur, inferior vero Galilaea circa Κέδασα incipiebat atque ad Carmelum et Ptolemaidem (Ant. V 1, 24) protendebatur. — *Galilaea N. T.* potius minus territorium, a Iudaeis solis inhabitatum, comprehendebat (B. I. III 3, 2). Limes, utramque Galilaeam N. T. intersecans, in quantum indirecte ex Iosepho concludere licet, quod ad rem attinet cum limite naturali (cf. pag. 67) currebat: vdl. lineâ a W. el-ʻAmûd, per er-Râme, W. Šaʻib versus

'Akkâm. — Talmud (cf. Neubauer, op. c. 178) tq. limitem utriusque assignat oppidum Kefar Ḥananyâ = Kefr 'Anân (?), quod in eadem linea situm est, ideoque Dalman (l. c. p. 210) Galilaeae utrique limitem assignat a Kefr 'Anân per Ğubb Yûsif ad Iordanem.

§ 88. — Urbes et oppida Galilaeae [supponendo limites, quos statuit Guthe, tab. 14] fuerunt teste Iosepho (Vita 45) numero 204. Sed Iosephus offert solum 35 nomina; alia 20 ex reliquis fontibus novimus.

Acchabare (Ἀκχαβάρη, Ἀχαράβη, עכברה = 'Akbara).

'Ailebû (עילבו = 'Ailebûn).

Ammathus–Chammetha (Ἀμμαθοῦς, חמתא = el-Ḥammâm).

Arbela (Ἀρβηλα, ארבל = Ḥ. Irbid; — antrum [σπήλαιον] = Ḳal'at Ibn Ma'n).

Asochis urbs (Ἀσωχις πόλις [= ציחין ?] = Tell el-Bedawiyye (?); — Asochis planities (πεδίον) est sine dubio Sahl el-Baṭṭôf).

Asor (Ἀσώρ πεδίον = Merğ Ḥadîre; urbs Ἄσωρα = Ḥ. el-Ḥarrâwi ?, Ḥ. el-Ḥurêbe ?).

Baka (Βάκα = Tell Belâṭ ?, Ḥ. eṭ-Ṭabaḳa ?, el-Buḳei'a ?, vicus Ğermaḳ [olim el-Bak'a] appellatus).

Bethacharam (בית חרם = Meğdel Kerûm).

Bethleem (Βηθλεέμ, בית לחם צרידה = Beit Laḥm).

Bethmaus[-ôn] (Βηθμαοῦς [= ? בית מעון] = Tell Mâ'ûn).

Bethsaida I° [?] (Βηθσαϊδά = Ḥân Minye ?, eṭ-Ṭâbiğa ??). Bethsaida II° v. § 113.

Bersabe (Βηρσαβέ[-η], Βηρσουβαί = Ḥ. Abû-š-Šebâ'; = minus prob. Ἐπτάπηγον = 'Ain eṭ-Ṭâbiğa).

Besara (Βησάρα = Ḥ. el-Bêḍâ ?).

Bêṭôfâ (ביטופא = Beth-Netopha = 'Ain Nâṭif).

Cana (Κανᾶ = Kefr Kenna, ʿAin Kânâ, vel Ḫ. Ḳânâ?; — Ioh.2, 1. 11; 4, 46. 54; 21, 2).

Capharnaum (Καφαρναούμ, כפר נחום, Κεφαρνωκὸς κώμη = Tell-Ḥûm; Καφαρναοὺμ πηγή Iosephi = ʿAin eṭ-Ṭâbiġa; — Mt. 4, 13; 8, 5; 11, 23; 17, 24; Mc. 1, 21; 2, 1; 9, 33; Lc. 4, 23. 31; 7, 1; 10, 15; Ioh. 2, 12; 4, 46; 6, 17. 24. 59).

Chabolo (Χαβωλώ [= Χαβουλούν?] = כבול = Kabûl).

Cochaba (Κωχαβα, כוכבא = Kôkab el-Hawâ).

Corozain, Chorazin (Χοραζείν, כרזים = Ḫ. Kerâze [Kerâziye]; — Mt. 11, 21; Lc. 10, 13).

Dabaritta (Δαβάριττα, דברתה = Debûriye).

Endor (Ἠνδώρ = Endûr).

Exaloth, Xaloth (Ἐξαλώθ, Ξαλώθ = Iksâl).

Gaba (Γάβα[-αά] = Šeiḫ Abrêk).

Gabara (Γάβαρα, Γάραβα, Ἄραβα = ʿArrâbet el-Baṭṭôf, Ḫ. Kâbra?).

Garis (Γάρις, גרסים = Ḫ. Kenna?; er-Rêne??).

Gischala (Γισχαλα, גוש חלב = el-Ǧîš).

Yânôaḥ (ינוח = Yânûḥ).

Iapha (Ἴαφα = Yâfâ).

Itabyrion (Ἀταβύριον = in vicinia Ġ. eṭ-Ṭôr, qui est Ἰταβύριον ὄρος Iosephi).

Iotapata, Yodefath (Ἰωτάπατα, יודפת = Tell Ǧefât).

Kefar Ḥananyâ (כפר חנניה = Kefr ʿAnân).

Kefar Nimrâ (כפר נמרא = Nimrîn).

Kefar Simai (כפר סימאי = Kefr Sumeyya).

Kefar Šubtai (כפר שובתי = Kefr Sabt).

Magdala (Μάγδαλα, [= Magadan, Μαγαδάν?], מגדלא = el-Meǧdel; — Mt. 15, 39; sec. Dalman [l. c. p. 134] Magdalae graecum nomen esset Tarichea[e]).

Meron (Μηρώ, מירון = Ἀμηρώθ = Meirûn).
Meroth (Μηρώθ = Mârûn er-Râs ? ?).
Mimlâ (מימלא = Ḥ. Mamelya, [etiam Mimlâ]).
Naim (Ναΐν, נעים = Nein; — Lc. 7, 11).
Nazareth (Ναζαρέτ(-ὶθ) = en-Nâṣira; — Mt. 2, 23; 4, 13; 21, 11; Mc. 1, 9; Lc. 1, 26; 2, 4. 39. 51; 4, 16. 34; 18, 37; Ioh. 1, 45. 46). Apud Iosephum non occurrit.
Omonoea (Ὁμόνοια = Arḍ el-Ḥammâ [Sahl el-Aḥmâ] ?, Umm Ǧûniye ?).
Ruma (Ῥουμᾶ, רימא = Ḥ. Rûme, Tell el-Bedawwiyye ?).
Saab (Σααβ = Šasib).
Saba (Σαβά = Ša'ib, Kefr Sabt ?).
Šefar'am (שפרעם = Šefâ 'Amr).
Selame (Σελάμι [-ίς], צלמין = Ḥ. Sellâme).
Sennabris - Ṣinnabray (Σενναβρίς, Γινναβρίν, Ἔνναβρις, צנברי = Ṣinnâbra [apud ant. script. arab.], hodie perperam Sin-en-Nabra).
Sephat (Σεφάτ, צפת, Iosephi Σεπφ = Ṣafed).
Sepphoris (Σέπφωρις, צפורין; dein Diocaesarea, Διοκαισάρεια = Ṣaffûriye).
Sigoph (Σιγώφ, Σιών, = 'Ayûn eš-Ša'în ? ?).
Simonias (Σιμωνιάς, סימוניא = Semûniye).
Sogane (Σωγάνη, סיכנין = Suḫnîn).
Sunem (Σωνάμ, Σούνη = Sôlem).
Tarichea[e] (Ταριχέα [-αι] = ? בית ירח vel כפר אריה = Ḥ. el-Kerak; min. prob. el-Meǧdel ?) — cf. etiam Magdala.
Thella (Θελλά = et-Telêl ?).
Tiberias (Τιβεριάς, טבריא = Ṭabariyya; — Ioh. 6, 23).
Ušâ (אושא = Ḥ. Hûše).
Zabulon (Ζαβουλών = 'Abellîn ?, Nebi Sebelân ?).

E). — Peraea.

Bibliographia : A. Forder, *Petra, Perea, Phenicia*, London 1923 ; — C. Steuernagel, *Der 'Adschlûn* in ZDPV 47 (1924) p. 191-240 ; 48 (1925) p. 1-144 ; 201-392 ; 49 (1926) p. 1-167 describit exactissime hodiernum 'Ağlûn, quod quoad territorium ex parte respondet antiquae Peraeae.

§ 89. — Nomen Peraeae (Περαία) nec in S. Scriptura nec apud Ptolemaeum occurrit ; nam Ptolemaeus etiam hanc partem transiordanicae regionis, quae ad provinciam " Syriam-Palaestinam „ pertinebat, simpliciter Iudaeam vocat ; Scriptura vero totam regionem transiordanicam, occupatam ab Israëlitis, appellat saepe עֵבֶר הַיַּרְדֵּן, quod LXX reddiderunt : πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Vulgata : " *trans Iordanem* „ (etiam in N. T. vg. Mt. 4, 15. 25 ; Mc. 3, 7. 8 ; Ioh. 1, 28 ; 3, 26 ; 6, 1. 17 ; 10, 40 ; 18, 1). Nomen proprium regionis transiordanicae in V. T. (ante captivitatem : *Gil'âd*), in N. T. non amplius occurrit.

Nomen Περαία debetur Iosepho (B. I. III 3, 3), qui hoc vocabulo designare solet solummodo provinciam iudaicam trans Iordanem sitam, eiusdem ordinis ac erat Iudaea, Samaria, vel Galilaea. E contra ad totam regionem cis- et transiordanicam designandam Iosephus adhibet saepe nomen Συρία ἡ Κοίλη (vg. Ant. XII 3, 3 ; 4, 1 ; XIII 13, 3 ; 15, 2) (1). Haec Coelesyria Iosephi, aevo I° post Christum in plures dividebatur provincias, quarum una erat haec ipsa Peraea (sensu Iosephi) ; — cf. § 102 b.

(1) Cf. de Coelesyria § 102 b) nota.

§ 90. — Limites Peraeae.

Teste Iosepho (B. I. III 3, 3) Peraea erat multo maior quam Galilaea, sed magis deserta et aspera. Extendebatur a° meridie de Machaerunte (Ḫ. el-Mukâwer) et Môabitide (prob. de Seil Heidân et Arnône) versus septentrionem usque ad vicina Pellae (fortasse usque ad W. el-Yâbis) (1); — et a Iordane et mari Mortuo ab occidente, usque ad decapolitanos districtus Gerasae (Ǧerâš), ac Philadelphiae (ʿAmmân), et usque ad terras Arabiae (nabaṭaeae). Hic limes orientalis Peraeae est satis indeterminatus ; Guthe (tab. 14) ducit eum a W. el-Wâle (a meridie) usque ad W. el-Yâbis lineâ quasi rectâ versus septentrionem ita, ut excludat a Peraea oppida : Medabam, Esebon, Eleale, Yogbeha, er-Rummân, Ǧezzâze, Masphaten. Haec delimitatio est quidem probabilis, certa tamen dici nequit.

§ 91. — Urbes et oppida Peraeae.

Abila (Ἀβίλη = אבל ?), ant. Abêl haš-Šiṭṭîm, = Abelsattim = Ḫ. Kefrên).

Adam[*a*] (= Tell ed-Dâmiye).

Amathus (Ἀμαθοῦς, עמתי = צפון (?) = Tell ʿAmtâ [ad W. Râǧib]).

Ataroth (עטרות = ʿAṭârûs).

(1) Iosephus quidem (B. I. IV 7, 3) urbem Gadaram appellat metropolim Peraeae adeoque limites Peraeae, usque ad Yarmûk protendere videtur; si vdl. haec Gadara est idem ac Mukês. Sed hoc loco Iosephus aut sumit Peraeam sensu latiore, aut probabilius aliam Gadaram cogitat, quam non pauci geographi hodie in es-Salṭ collocant, aequiparando eam antiquo Gedor. Nam Gadara (= Mukês) politice ad Decapolin spectabat.

Ba'al Me'ôn (בעל מעון = Mâ'în).

Besimo (Βησιμώ) = Beth [Ye]simoth, בית הישימות (Βηθασιμούθ, 'Ισιμούθ) = Ḫ. Suweime).

Betharamphtha (Βηθαραμφθᾶ, Βηθαράμαθα, בית רמתה = 'Αμμαθ = Iulias, 'Ιουλιάς = Livias, Λιβίας = Tell er-Râme).

Bethania (Βηθανία, Ioh. 1, 28 cf. Ioh. 10, 40) = Bethabara Βηθαβαρά [Orig. Euseb.]; = prob. Tell el-Medešš, ad occid. de Nimrîn [sec. Federlin]; sec. Conder: Maḫâḍet 'Abâra, in finibus Decapoleos, improbabile).

Bethennabris (Βηθενναβρίς = בית נמרין = Tell Nimrîn).

Callirrhoë (Καλλιῤῥόη, קַלִּרְחִי = Ḥammâm ez-Zâra).

Coraiatha (Καραιαθα = Ḫ. el-Ḳureyyât).

Gadara (Γάδαρα = Gedor [Gador(a), Γαδωρα] = es-Salṭ, cuius fons hodie adhuc 'Ain Ġadûr appellari consuevit; — sec. Dalman [l. c. p. 255] locus inter es-Salṭ et Ġ. Nebî Ôša').

Gil'âd (Γαλαάδ = Ǧel'ûd ?).

Iazarus ('Ιαζωρός, 'Ιαζήρ, 'Αζήρ = Ḫ. Ṣâr ?, Beit Zer'a ?).

Lemba (Λεμβά) = *Libba* (Λίββα) = Libb.

Machaerus (Μαχαιροῦς, מכוור = Ḫ. el-Mukâwer).

Manaim (Μαναλίς, Μααναίν, מחנים = Ḫ. Maḫnâ ?, Tulûl eḍ-Ḍahab ?).

Nabo (Ναβώθ, נבו = en-Nebâ).

Ragab[a] ('Ράγαβα, רגב, 'Εργάβ = er-Ruǧêb, er-Râǧib).

Thesba (Θεσβά = Istib, [Lisdib], prope Mâr Elyâs).

Tyrus (Τύρος = 'Arâḳ el-Emîr).

N. B. Ex supradictis de singulis provinciae Iudaeae partibus etiam *limites totius provinciae* facile restitui possunt: A meridie probabiliter limes naturalis Palaestinae (ut W. el-Ǧerâbi, W. el-Ḳêni,

W. el-Milḥ — W. Bîr es-Seba', W. eṣ-Ṣini, dein linea ad Tell Refaḥ). — Ab occidente: mare Mediterraneum [post a. 70 a Raphia (= Tell Refaḥ) usque ad Nahr ez-Zerḳâ incl.], dein vero limes orientalis Phoenices (cf. § 103). — A septentrione: limes meridionalis Phoenices; fere linea a Rama (= Râmiyâ) ad lacum el-Ḥûle. Ab oriente limitem prov. Iudaeae constituebat Iordanes a lacu el-Ḥûle usque ad suum exitum ex lacu Gennesar, dein fines districtus decapolitani Scythopoleos, postea W. el-Yâbis, denique limes orientalis Peraeae (cf. § 90) usque ad Arnônem.

CAPUT XIV

Incolae Provinciae Iudaeae, seu : Iudaei et populi iudaizati

Bibliographia : E. Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes* 1 (⁴ 1901) 425–433 ; II (⁴ 1907) 1–18 ; — Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible*, dissertationes *Juif* III 1859–1861 (F. Prat) ; *Galaad* III 46–59 (L. Heidet) ; *Galiléen* III 95 s. (A. Legendre) ; *Pérée* V 131–133 (L. Heidet) ; *Samaritains* V 1418, 1424–1428 (H. Lesêtre).

De Samaritanis bibliographiam vide in articulo E. Kautzsch, " *Samaritaner* „ in Hauck, *Realencyclopädie* 17 (³ 1906) 428, 440–445 ; attentionem merentur vg. : Appel, *Quaestiones de rebus Samaritanorum* sub imperio Romanorum peractis, Göttingen 1874 ; — Nutt, *A Sketch of Samaritan History, Dogma and Literature*, London 1874 ; — I. Taglicht, *Die Kuthäer als Beobachter des G setzes* 1888 ; — Wreschner, *Samaritanische Traditionen* 1888 ; — Cowley, articuli in *Jewish Encyclopaedia* 10 (1905) 669–681 vel, in : Cheyne, *Encyclopaedia biblica*, 4256–4265 ; — Montgomery, *The Samaritans, the Earliest Jewish Sect*, Philadelphia 1907 ; — I. W. Rothstein, *Juden und Samaritaner* 1908. — cf. etiam § 98.

Praeambula ethnographica, Palaestinam in genere respicientia.

§ 92. — Palaestina per totum suae historiae decursum valde mixtos et ethnologice distinctos habuit incolas. Nonnullae periodi, ut saeculum invasionis Israëlitarum, tempora post utramque deportationem Israëlis ac denique aevum Christi, hac in re praecipue eminent.

Plura ad hoc contulerunt: *a*) deportatio Israëlitarum in Assyriam et Babyloniam ac subsequens deductio ethnologice diversorum Orientis in derelictam regionem populorum, aramaice (fere ex toto ?) loquentium ; *b*) reditus Iudaeorum in patriam sub Persis ; *c*) Alexandri M. victoriae ; sequentes eas in tota Palaestina Graecorum coloniae (antea solum dispersae) et praepotens influxus Graecorum ac Hellenistarum in gentes aramaicas Palaestinae ; *d*) coacta iudaizatio exercita in gentes saepe heterogeneas in Idumaea, Galilaea et Peraea habitantes, quae etiam 'Arabibus et Nabaṭaeis commixtae erant ; *e*) matrimonia denique Iudaeorum cum proselytis heterogeneis ex una et Iudaeorum hellenizatorum cum aliis Hellenistis ex alia parte. Haec omnia opus, olim inceptum, mixtionis ethnologicae in Palaestina, aetate Christi ad apicem perduxerunt.

Quae cum ita sint, vix alius modus incolas Palaestinae ethnologice considerandi restat, nisi ut sub respectu diversae religionis et cultus atque humanitatis (= " civilisationis „) circumspiciantur. Itaque ratione linguarum habita, imprimis duas magnas classes incolarum sibi oppositas in Palaestina distinguere possumus, vdl. : gentes aramaizatas et hellenizatas. Quia tamen gentes aramaizatae ac (ex parte) hellenizatae, ratione religionis iudaicae, quam profitebantur, novam ac quasi diversam categoriam constituunt, hinc practice melius erit tres hominum classes distinguere :

1°. Iudaei et populi iudaizati (Idumaei, Galilaei, Pereani, Samaritani), de quibus hoc capite XIV agetur.

2°. Gentiles aramaizati (ut Iṭuraei, multi

Phoenices et incolae Palaestinae transiordanicae, extra Peraeae fines habitantes ; — de iis c. XV sermo erit ; de Nabaṭaeis vero c. XVII.

3°. Hellenistae et classes hellenizatae, quibus adnumeratur maior incolarum pars in urbibus hellenisticis commorans, praecipue orae maritimae et Decapoleos. De his simul cum Decapoli (c. XVI) tractabitur.

§ 93. — **Romana Provincia Iudaea**, constans Idumaea, Iudaea, Samaria, Galilaea et Peraea, non omnino homogeneam populi massam habuit. Urbium maritimarum et ex parte etiam ab Herodiadis de novo conditarum incolae fuerunt, si non omnino saltem maiore ex parte hellenismo infecti (1). Nam Iudaeorum numerus, e captivitate babylonica reducum, valde exiguus (c. 50.000) atque ad parvam solummodo partem Iudaeae restrictus erat. Ante Machabaeorum tempora Palaestinae hellenizatio tales tantosque fecit progressus, ut elementum iudaicum potius decresceret, quam cresceret. Demum Epiphanis persecutio et Machabaeorum bella huic nationali Iudaeorum languori finem imposuerunt. Ex hac persecutione Iudaei suae nationis religionisque conscii evadunt atque in finitimas provincias, quas subiugant, easdem inferre satagunt. Hanc religiosam nationalemque iudaismi propagationem, quam Hasmonaei feliciter incoeperant et ad florem perduxerant, Herodiadae — non obstante proclivitate ad hellenismum — ex parte continuant.

Certus *incolarum numerus* totius provinciae Iudaeae, aetate Christi, assignari nequit. Varii calculi et indicia

(1) De hisce urbibus et hellenismo confer C. XVI.

fortasse ad 1.500.000 incolarum nos conducent; vdl. Iudaea cum Idumaea c. 600.000; Samaria c. 400.000; Galilaea c. 300.000 et Peraea c. 200.000. Si gentibus heterogeneis non iudaizatis [1], tribuimus, tunc Iudaei in tota provincia Iudaea circa 1.200.000 numerare potuerunt. Sed hi omnes calculi valde incerti sunt, cum solidi fontes historici desint (²). — Ex iis, quae Iosephus affert de proventibus annuis tetrarcharum (Archelaus 600 talenta habuit; Antipas 200 talenta; Philippus 100 talenta, Ant. XVII 11, 4–5), de toties repetitis tributis bellicis (B. I. I, 11, 2), sive in genere de natura ac fertilitate terrae (B. I. III 3, 2; Vita 13), forte concludi recte potest, Palaestinae incolas satis divites et numero praestantes fuisse.

§ 94. **Iudaea — Iudaei.**

Iudaea, presse sumpta intra fines supra (§ 79) assignatos, fere exclusive Iudaeos vel gentiles iudaizatos incolas habuit. Item de incolis Ioppes et Iamniae censendum videtur. Ierosolymis quidem colonia hellenistica et satis potens factio Iudaeorum philhellenistarum habitavit, sed incolarum numerus longe maior vere iudaicus haberi potest.

(²) Quae Iosephus hic affert sunt exaggerata, et quia numeros respiciunt, sat dubia. Sic B. I. III 3, 2 affirmat, unumquodque Galilaeae oppidulum, plus quam 15.000 incolarum habuisse. Oppidorum vero Galilaeae numerus erat 204 (Vita 45). Exinde sequeretur, solam Galilaeam circa 5.000.000 incolarum habuisse. Si hic numerus pro tota Palaestina admitteretur, tunc densitas incolarum aequivaleret hodierno statui in Belgio, — id quod apud populum, magna ex parte agriculturae deditum, qualis erat iudaicus, admitti nequit. (Belgium 8.000.000 habitantium habet, pro singulis km.² 260 habit.).

Iudaei, sub respectu ethnologico considerati, parvum ramum constituebant magnae illius familiae semiticae, quam praecipue in antiquitate repraesentabant: Babylonii et Assyrii, Aramaei et Arabes. In specie vero Iudaei reputantur (et ex parte revera erant) pars quaedam exigua familiae Terahidarum, quae dispescitur in Lôṭidas (quibus adnumerantur 'Ammônitae, Môabitae) et Abrahamidas, quos praecipue in antiquitate biblica repraesentabant Ismaëlitae et Madianitae, Edômitae (posterius Idumaei appellati) ac Israëlitae. Israëlitarum post captivitatem babylonicam superstites communiter Iudaei appellari solent.

Nomen "Iudaeorum„ יְהוּדִי, יְהוּדִים, יְהוּדָיִם Ieremiae temporibus primum occurrit ad designandos incolas regni Iuda — qui tunc (post excidium Samariae) soli nationem israëliticam repraesentabant, — ut distinguerentur a Môabitis (Ier. 40, 11. 12), ab Idumaeis (4 Reg. 16, 6) a Chaldaeis (Ier. 38, 19; 41, 3; 52, 28. 30; 4 Reg. 25, 25), immo ab Aegyptiis (Ier. 44, 1). Nomen "Iudaei„ nec ad designanda membra solius tribus Iuda, nec ad designandos incolas regni meridionalis (Iuda) quatenus regno septentrionali (Israël) opponeretur, unquam adhibebatur, — sed a Ieremia (34, 19) "Iudaeus„ tq. synonymon nominis: "Hebraei„ adhibetur. Habitatores vg. Ierusalem, ut urbis principis, vocantur Iudaei i. e. Hebraei (Ier. 32, 12) et lingua hebraica iam ante captivitatem a Scriptura S. appellatur iudaica (4 Reg. 18, 26. 28; Is. 36, 11. 13). Sed haec quamvis occurrerent, tamen in exclusivo usu non erant. Demum post reditum e captivitate babylonica Israëlitae generatim appellari incipiunt Iudaei (Ant. XI 5, 3). Hoc et non alio sensu occurrit illud nomen in libris Esdrae, Nehemiae (1), Esther, et Machabaeorum, in prophetia Zachariae (8, 23), Danielis (3, 8. 12) (2) et saepissime in Novo Testamento, ubi tamen (praecipue in Evang. S. Iohannis) habet saepe significationem, nec ethnographicam nec politicam, sed potius religiosam eamque specialem, vdl. ad designandos eos, qui Christum repudiant et in traditionibus antecessorum suorum persistunt.

(1) Neh. 2, 16 nomine Iudaeorum designatur populus et plebs, ut opponatur sacerdotibus, nobilibus et magistratibus.

(2) Cf. etiam huius libri partes graecas, vg. Dan. 13, 4; 14, 27.

§ 95. **Idumaea — Idumaei.**

Ante excidium Ierusalem, sub Tito factum, immo iam anteactis temporibus, Idumaea non solum politice sed etiam ethnographice a Iudaeis tq. regio iudaica considerabatur, ut patet ex Iosepho (Ant. XVIII 6, 2; B. I. III 3, 5). Verum quidem est, Idumaeos solummodo ut semi-iudaeos a multis Iudaeis consideratos, et ideo saepe despectos esse; at Idumaei ipsi (ab aetate Ioannis Hyrcani et praesertim post ipsum) adeo iudaizati erant, ut aevo magnae contra Romanos insurrectionis ardentes ac fervidos patriotas iudaicos se ostenderint (B. I. IV 4, 1; 5, 1; 8, 1; 9, 5; V 9, 2; VI, 2, 6; 8, 2). Haec heroica sed infelix resistentia fuit causa interitus totius gentis idumaicae.

Sub respectu ethnologico Idumaei, magna ex parte, ab antiquis Edomitis descendebant, ergo per Abrahamum Iudaeorum proximi propinqui erant. De antiquis Edômitis non est huius loci disserere. Hic Edômitarum fortunam post captivitatem babylonicam breviter recolere sufficiat. Hisce enim temporibus Edômitae-Idumaei novas partim sedes sibi acquisiverant. Cum vdl. ab oriente et meridie Nabaṭaei Edômitas premerent atque montes eš-Šerâ eis ademissent, Iudaea vero ob captivitatem babylonicam non mediocriter incolis privata esset, — Idumaei relinquendo Nabaṭaeis montes eš-Šerâ, meridionalem Iudaeae regionem occuparunt. Hic primum a Iuda Machabaeo (1 Mac. 5, 3. 65), dein a Ioanne Hyrcano (135–105 a. Chr.) devicti, amissis urbibus Adora (= Dûrâ) et Marisa (H. Mer'âš ?, Tell Sandaḥanna ?), iudaismum amplecti coacti sunt; quod et ita sincere fecerunt, ut uno saeculo post zelosissimi quique ac Iudaeorum ferventissimi praecise non pauci ex antiquis Idumaeis essent. Ipsum historicum factum, illos Iudaeis exosos Idumaeos devenisse Iudaeos, post excidium Ierusalem brevi temporis

tractu ita oblivioni est datum, ut Iudaeorum rabbini locos Scripturae, in quibus Idumaei reprehenderentur, simul cum nomine Idumaeorum Romanis et Christianis, tq. infensissimis iudaici populi hostibus, applicare coeperint.

§ 96. **Galilaea — Galilaei.**

Deportatio Israëlis sub Tiglatpilesare III (a. 734) Galilaeam israëlitico populo ita privavit, ut novi incolae, gentiles Aramaei vel aramaizati, eam quasi ex toto occuparent. Idem ex parte factum postea ab Ituraeis. Adhuc temporibus Machabaeorum (c. a. 165) Iudaeorum numerus in Galilaea tam exiguus fuit, ut Simon Hasmonaeus opportunum duxerit, eos in Iudaeam transportare (1 Mac. 5, 14–23), ne Iudaei galilaici a gentibus penitus absumerentur ac absorberentur. Demum Aristobulus I (104–103 ante Chr.) Galilaeam expugnavit et Ituraeos ibi habitantes ad circumcisionem adegit atque iudaizavit (Ant. XIII 11, 3). Regimen piae Alexandrae iudaizationem Galilaeae ad apicem perduxit. Sed quamvis temporibus Christi Galilaei iudaizati maiorem incolarum Galilaeae partem efficerent, non fuerunt tamen ibi soli. Praeter eos et inter eos Phoenices, Ituraei, Graeci et reliquiae Aramaeorum habitabant.

Procul dubio affirmari potest, matrimonia anteactis temporibus cum alienigenis contracta, commercium continuum, ex parte etiam ipsam regionem pulchram, fertilem, aquis abundantem ac plantis refertam, non parum ad hoc contulisse, ut Galilaeorum iudaizatorum character a Iudaeorum charactere, Iudaeam inhabitantium, satis differret. Iudaei in Iudaea asperi erant severique, sicut et regio eorum; spiritu angusto ac contentioso, erga alios suspiciosi, legis litterae in-

haerebant. E contrario Galilaeorum character vividus, fervens ac largus, a rebus ideisque novis non alienus, amabilis et socialis erat, quamvis non raro turbulentus ac vehemens fieret. Commercio dediti et a scholis rabbinicis et pharisaicis Iudaeae longe distantes, Galilaei minus quidem periti legis minusque rigidi in observandis minutiis erant et ab orthodoxis pharisaeis iudaicis despiciebantur ac irridebantur, ita ut inter pharisaeos opinio invaluerit, nihil boni et docti e Galilaea oriri posse (Ioh. 1, 46; 7, 52). Et tamen legis spiritus in Galilaea magis, quam in pharisaica Iudaea, observabatur. Tandem, quamvis Galilaei, eadem lingua aramaica uterentur ac Iudaei, tamen parvae differentiae dialecti et vitiosa pronunciatio, in qua ע ab א, ה ab ח non distinguebatur, in oculis doctorum iudaicorum ridiculos eos reddebat (1). " Verumtamen, quamquam Iudaei et Galilaei non multum inter se amabant, nihilominus odio mutuo se non prosequebantur. Erant sibi nimis vicini, ut invidia mutua non exoriretur, tamen eorum aemulatio semper res minoris momenti respiciebat; in magnis quaestionibus religionis et patriae profunde et perfecte ad invicem coniuncti erant „. (Stapfer, *La Palestine*, 1885 p. 119).

§ 97. **Peraea — Peraeani.**

Aetate Christi Peraea, sensu latiore i. e. regio trans Iordanem, magnam gentium varietatem sub respectu ethnologico exhibebat. Hinc nomen: "*Peraeani*„ valorem ethnographicum habere non potest, sed solum tq. terminus ad designandos incolas huius provinciae inservit, abstractione facta ab eorum origine. Solummodo lingua communis aramaica — et pro Peraeanis iudaizatis adhuc re-

(1) Talmud babylonicus ('Erubîn 53 b) affert exemplum. Semel Galilaeus quidam a Iudaeo postulavit: " amr „. Accepit responsum: Stulte Galilaee, quidnam vis? חֲמַר (asinum) quem ascendas, an חֲמַר (vinum) quod bibas; an עֲמַר (lanam) qua te tegas, an denique אימר (ovem) quam occidas?

ligio iudaica — commune internum vinculum huius territorii constituebant, cui politica administratio externa unam formam indidit.

Antiquitus terras trans Iordanem incolebant Gala'aditae, 'Ammônitae, Môabitae. Dein immigrarunt Aramaei cum variis tribubus arabicis, Iambritae et Nabaṭaei; ultimo loco multae coloniae hellenisticae conditae sunt. — Pro aevo Machabaeorum et aetate Christi, fontes historici in Palaestina transiordanica afferunt nomina 'Ammônitarum (1 Mac. 5, 6; 2 Mac. 4, 26; 5. 7), Iambritarum (1 Mac. 9, 36–37) (1), Môabitarum et Gala'aditarum (Ant. XIII 13, 5; B. I. I 4, 3), Nabaṭaeorum (1 Mac. 5, 25; 9, 35; 10, 25), Aramaeorum (B. I. II 18, 1) (2). Denique coloniae hellenisticae urbium Decapoleos praecipue trans Iordanem sitae erant (cf. infra §§ 125–129).

Iudaei, aetate Machabaeorum, in Peraea numero valde exiguo erant atque ab 'Ammônitis et Gala'aditis (3) oppri-

(1) **Iambritae** membra familiae Iambri, habitantis in Mâdabâ, vocabantur. Iosephus (Ant. XIII 1, 2) appellat eos οἱ Ἀμαραίου παῖδες, quod nomen satis simile est lectioni codicis sinaitici ℵ (Ἀμβρί) et syriacae versionis (Ambrei). Ideo multi admittunt, loco "Iambritae„ debere legi "filii Amorrhaei„, ac consequenter Iambritas esse descendentes familiae cuiusdam amorrhaeae, quae Mâdabae suas sedes fixit (Cf. L. W. Grimm, *Das erste Buch der Machabäer*, Leipzig 1853). Alii Iambritas potius tribum arabicam esse putant.

(2) De 'Ammônitis, Môabitis, Aramaeis in alio tractatu disseritur. — **Gala'aditae** antiquitus ii ex gente Israëlis vocabantur, qui ad tribum Manasse (per Gala'ad, nepotem Manasse) pertinebant, quique antiquam regionem Gil'âd (inter Yarmûk et W. Ḥesbân), incolebant. Gala'aditae a. 734 et dein 721 in captivitatem assyriacam deportati, tq. tribus separata vivere desierunt. Regio eorum tunc per 'Ammônitas, Môabitas et probabiliter per Arabes ac Idumaeos occupata est, qui

mebantur. Iudas Machabaeus, devictis utrisque, paucosque illos Iudaeos salvare volens, eos de transiordanica regione in Iudaeam transtulit (1 Mac. 5, 9–54).

Sed victoriae in hisce mundi plagis a Ioanne Hyrcano, (qui expugnavit Mâdabam) et ab Alexandro Iannaeo reportatae (1), de novo terram transiordanicam Iudaeis eorumque coloniis ac coacto proselytismo aperuerunt ita, ut tandem Herodis aetate nova quasi iudaica provincia Peraea nata sit. Urbes quidem hellenisticae a Pompeio Magno et Gabinio hellenismo restitutae sunt et Decapoli politice iunctae; reliquum tamen territorium, seu Peraea sensu stricto, praecipue a Iudaeis et iudaizatis populis incolebatur. Incolarum numerus in Peraea minor erat, quam in Iudaea et in Galilaea.

In Iudaea igitur, iuncta cum Idumaea, porro in Galilaea et in Peraea, maxima ex parte Iudaei vel iudaizati incolae habitabant.

Gentiles non Iudaei erant paucissimi in Iudaea et Idumaea, non rari in Galilaea, satis frequentes in Peraea. Si vero eorum omnium lingua consideratur, haec erat dialectus aramaica (palaestinensis). Sub hoc ergo respectu omnes hi incolae populis aramaizatis adnumerari possunt.

omnes (inde a nomine regionis) nomine comuni Gala'aditae saepe vocari solebant, similiter ac iidem mixti ethnographice populi, aetate Christi Peraeani vocari possunt.

(1) Hic cepit Gadaram, Pellam, Dium et Gerasam, Môabitas insuper et Gala'aditas tributarios sibi fecit, parvos dynastas ex Gamala, et Amathunte fugavit, et sub vitae suae finem totam regionem transiordanicam a lacu el-Ḥûle usque ad mare Mortuum iudaicae dominationi subiecit (Ant. XIII 15, 4).

§ 98. **Samaria — Samaritani.**

Haec provincia, sub respectu ethnographico et religioso, specialem sibi locum vindicat. Eius incolae in duas partes distinctas dividi debent. Urbes ab Herodiadis conditae vel de novo exornatae, ut Samaria (Sebaste), Neapolis, Turris Stratonis (Caesarea Palaestina) et Apollonia maximam partem incolis hellenisticis constabant. — Reliquum provinciae praecipue a sic dictis Samaritanis incolebatur.

Samaritani, ethnologice considerati, efficiunt gentem mixtam ex Israëlitis et aliis populis allophylis, quos tq. colonos de *Babylone*, de *Kûtâ* (= Tell Ibrâhîm, NE de Babylone), de *'Awwâ* (= Hît ? ?), de *Hêna'* (Vulg. Ana = 'Ânat, N de Baġdâd), de *Sefarwaim* (aut syriac. Sibraim [Ez. 47, 15] = Zaferâne, — aut ambo babylonica Sippar i. e. Abû Ḥabba + el-'Anbar), de *Ḥamât* (= Ḥamâ) et de *Arpad* (= Tell Refâd, N de Ḥaleb) in depopulatum regnum Ephraim Assyrii submiserunt (cf. 4 Reg. 17, 24 + 18, 34 ; Is. 37, 13). — E commixtione horum advenarum cum relictis in Samaria provincia Israëlitis, orti sunt Samaritani הַשֹּׁמְרֹנִים [4 Reg. 17, 29] Σαμαρεῖται, Iudaeis maxime invisi, tum propter mixtum cum allophylis elementis sanguinem (ideoque contemptim כּוּתִים, Χουθαῖοι, *Cuthaei* appellati), tum propter historicas discordias differentesque in nonnullis religiosas ideas, (de quibus cf. historiam) (1). Hisce

(1) Cf. E. Nagl, *Religion de Kuttäer* in Zeitschr. f. kath. Theol. 28 (1904) 415–424. — W. Ewing, *The Samaritans and their Sacred Law* in Bibliotheca Sacra 79 (1922) 418–451.

omnibus non obstantibus, ipse Talmud connexionem (sat strictam) Samaritanorum cum Israëlis communitate negare non audet, sed eam solummodo ut dubiam considerat (Ḳiddûšîn IV, 3), atque Samaritanos eodem ordine ac Sadducaeos ponit (Nidda IV, 2).

CAPUT XV

Territoria Palaestinae septentrionalis, ad Syriae Provinciam spectantia, eorumque incolae

A) — *De Romana Provincia Syria praeambula*

Bibliographia : E. Bormann, *De Syriae provinciae Romanae partibus capita nonnulla*, Berolini, 1865 ; — E. Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes* 1 (⁴ 1901) 165–377, ubi etiam (p. 165 s. 302–304) tum fontes tum bibliographiam specialem invenies ; — J. Marquardt, *Römische Staatsverwaltung*, 1², 392–430 ; — Th. Mommsen, *Römische Geschichte*, V (⁵ 1904) 446–552 ; — O. Hirschfeld, *Die Kaiserlichen Verwaltungsbeamten bis auf Diocletian* ² 1905 ; — R. Brünnow et A. v. Domaszewski, *Die Provincia Arabia* 3 (1909) 249–263 ; — H. Lammens, *La Syrie*, Beyrouth 1921.

Tabulae geogr. : H. et R. Kiepert, *Formae orbis antiqui*, tab. V (1909), VI (1911) cum bonis notis ; — praeterea R. Kiepert, *Syrien und Mesopotamien*, I, II in opere M. von Oppenheim, *Vom Mittelmeere zum Persischen Golf*, 1893.

§ 99. — Provincia Syria, a. 64 ante Chr. a Pompeio Romanis acquisita, sub respectu politico et administrativo ac consequenter etiam quod ad limites attinet, formam suam saepe mutavit. Diversissimis etenim constabat partibus, varium in modum administratis, ut : a principibus autonomis, indigenis dynastis, tetrarchis, romanis magistratibus et similibus. Ut tamen recte notavit Marquardt (*Römische Staatsverwaltung* t. 1 p. 398) : " omnes illae regiones, terrae, principatus, tetrarchiae aut

civitates liberae semper tamquam aliquid ad provinciam Syriam pertinens, ab eius legato dependens, non vero tamquam aliquid a provincia distinctum considerabantur. Variae illae regiminis formae solummodo diversa organa ac media tributorum exigendorum Romanis erant „.

Legatorum nomina ac regiminis tempus affert Schürer (op. c. 1^4, 304–337) et Brünnow (op. c. t. 3, p. 300). En eorum elenchus :

§ 100. — Legati Augusti pro praetore provinciae Syriae

I) *Temporibus Reipublicae :*

M. Aemilius Scaurus 65–62; Marcius Philippus 61–60; Lentulus Marcellinus 59–58; A. Gabinius 57–55; M. Licinius Crassus 54–53; P. Cassius Longinus 53–51; M. Calpurnius Bibulus 51–50; Q. Metellus Scipio 49–48; Sextus Caesar 47–46; Caecilius Bassus 46; C. Antistius Vetus 45; L. Statius Murcus 44; C. Cassius Longinus 44–42; Decidius Saxa 41–40; P. Ventidius 39–38; C. Sosius 38–37; L. Munacius Plancus 35; L. Calpurnius Bibulus 32–31 (?).

II) *sub Imperatoribus :*

Q. Didius	30 a. Chr.	sub Augusto (30 ante — 14 p. Chr.)
M. Messalla Corvinus . .	29 „	
M. Tullius Cicero . . .	28 (?) „	
Varro	usque ad 23 „	
M. Agrippa	23–13 „	
M. Titius	c. a. 10 „	
C. Sentius Saturninus . .	9–6 „	
P. Quintilius Varus . .	6–4 „	
P. Sulpicius Quirinius . .	3–2 „	
P. Caesar	1 ante — 4 p. Chr.	
L. Volusius Saturninus . .	4–5 „	
P. Sulpicius Quirinius . .	6–12 (?) „	

Q. Caecilius Creticus Silanus	12–17 p. Chr.	
Cn. Calpurnius Piso	17–19 „	
Cn. Sentius Saturninus	19–21 „	
. . . . .		
. . . . .		sub Tiberio (14–37)
. . . . .		
L. Aelius Lama	usque ad 32 „	
L. Pomponius Flaccus	32–35 (?) „	
L. Vitellius	35–39 „	
P. Petronius	39–42 „	sub Caligula (37-41)
C. Vibius Marsus	42–44 „	
C. Cassius Longinus	45–50 „	sub Claudio (41–54)
C. Ummidius Quadratus	50–60 „	
Cn. Domitius Corbulo	60–63 „	
C. Cestius Gallus	63–66 „	sub Nerone (54–68)
C. Lucinius Mucianus	67–69 „	
. . . . .		Otho Vespasianus (69–79)
. . . . .		Titus (79–81)
. . . . .		Domitianus (81–96)
. . . . .		Nerva (96–98)
. . . . .		
Iulius Quadratus	102–104 „	
A. Cornelius Palma	105–108 „	
Titus Claudius Atticus ?	c. 111 „	sub Traiano (98–117)
C. Atilius Cuspius Iulianus Rufinus 112 (?)	c. 113–116 „	
P. Aelius Hadrianus	115–117 (?) „	
L. Catilius Severus	117(?)-119 „	
. . . . .		
. . . . .		sub Hadriano (117–138)
. . . . .		
Publicius Marcellus	c. 131 „	
Sex. Minicius Faustinus Iulius Severus	ante 138	

B) — Provinciae Syriae extensio, limites ac divisio.

§ 101. — Initio, post Pompeium, ad provinciam Syriam de facto tota Syria geographica spectabat: ab Amano, Cilicia et Euphrate usque ad Aegyptum et Arabiae deserta. A. 70 post Chr. Iudaea, nova provincia imperatoria primi ordinis, a Syria non pendens, facta est; a. 105 regnum Nabaṭaeorum, hucusque quasi socium, sed utique a legato Syriae pendens, sub Traiano " in formam provinciae „ [Arabiae] redactum est. Sed etiam intra limites huiusce ipsius diminutae provinciae Syriae, usque ad Traiani tempora, paulatim variae illae autonomae partes sua speciali administratione privatae et iuri communi subiectae sunt. Sic vg. a. 72 p. Chr. Commagene, c. a. 75 Arethusa et Emesa, a. 78 (79 ?) Abila in Syria, a. 92 Abila in Libano, a. 100 regnum Agrippae II, a. 105 Damascus eidem fato succubuere.

Limites provinciae Syriae post a. 70 p. Chr. (sec. R. Kiepert) fuerunt quasi naturales. A septentrione mons Taurus (c. 38° ?); a NW Amanus; ab occidente mare Mediterraneum (tunc Phoenicium vel Syriacum dictum) et quidem, a Pylis Amani et Syriae (hodie Bâb Yûnus et Beilân) usque ad Doram (= Ṭanṭûra) et fluvium Crocodilon (= Nahr ez-Zerḳâ); ab oriente Euphrates; a SE deserta Syriae (el-Ḥamâḍ) et Arabiae (eṣ-Ṣawwân), — post annum 105 p. Chr. Arabia Petraea. A meridie denique provincia Iudaea (ab a. 132 " Syria Palaestina „ dicta), cum districtibus Samariae, Galilaeae, Peraeae; — denique deserta arabica.

§ 102. — Divisio in conventus iuridicos. Intra hosce Syriae limites varii conventus (= districtus) iuridici et administrativi a Romanis instituti sunt; et quidem (incipiendo a N):

a) **Commagene** sita erat ad meridiem Cappadociae (Act. 2, 9; 1 Petr. 1, 1) et montium Tauri, inter Euphratem ad orientem et Ciliciam (1) ab occidente. Urbs praecipua erat *Samosata* (= Samsat). Aliae urbes erant: *Germanicia* (= Mar'aš ?), *Doliche* (= Tell Dulûk), *Iuliopolis* (= ?), *Seleucia* (mesopotamica = Ḳanṭara ?). — Commagene iam a. 17. p. Chr. provinciae Syriae addita est. Caligula a. 38 (*Dio* 59, 8) et Claudius a. 41 (*Dio* 60, 8) Commagenem Antiocho IV Epiphani M., filio Antiochi III (a. 17 p. Chr. defuncti) administrandam dederunt. Hic a Vespasiano (a. 72) depositus, regnumque eius Syriae denuo immediate subiectum est (B. I. VII 7, 1–3).

b) **Coelesyria** (2) littus maritimum terramque adiacentem prov. Syriae, a Pylis Amani et Syriae (= Bâb

(1) Act. 6, 9; 15, 23. 41; 21, 39; 22, 3; 23, 34; 27, 5; Gal. 1, 21.

(2) Coelesyriae (Κοίλη Συρία) nomen, cuius origo est ignota, diversis temporibus diversa designabat. Apud Theophrastum, Berosum, Polybium et Diodorum Coelesyriae nomine tota Syria et Palaestina intellegitur. Similiter Strabo et Iosephus totam regionem, ad meridiem Seleucidis (i. e. terrae circa Seleuciam Pieriam) sitam, usque ad Aegyptum et Arabiam — *excepta sola Phoenice* — Coelesyriam appellare consueverunt. Post Pompeium voce Coelesyriae publice designabatur solummodo unus e conventibus iuridicis, in quos Syria sub Romanis divisa erat; — attamen haec nominis restrictio in usum universalem deducta non est. — In omni casu non est accurata opinio auctorum, qui Strabone (756) et Ptolemaeo (V 14, 18) nixi, solummodo planitiem el-Biḳâ' (inter Heliopolim et Abilam Lysaniae) Coelesyriam appellare solebant. — Confer Th. Nöldeke in *Hermes* 10 (1876), 167, nota.

Yûnus et B. Beilân) usque ad Nahr el-Ḳayyis complectebatur. — Urbs praecipua erat *Antiochia* ad Orontem (= Anṭâkiya), tunc tertia urbs totius terrarum orbis (1ª Roma; 2ª Alexandrea Aeg.), sedes legati Syriae, in Actibus Apostol. saepius commemorata (6, 5; 11, 19–27; 13, 1; 14, 26). Aliae urbes erant: *Alexandrea ad Issum* (= Iskanderûn), *Gindarus* (= ?), *Pagrae* (= Ḳaramart), *Seleucia Pieria* (= Itš-Tšaulik; Act. 13, 4), *Chalcis ad Belum* (= Ḳinnešrîn), *Laodicea* (Leuce Acte = el-Lâḏiḳiyye), *Gabala* (= Ǧeble), *Balanaea* (Leucas = Bâniyâs), *Apamea* (= Ḳal'ât el-Muḍîḳ), *Ribla*, *Mariamme* (= Maryâmîn), *Heliopolis* (= Ba'albekk), tandem *Hemesa* (Emesa = Ḥomṣ), quae adhuc a. 72 p. Chr. proprium regem Soëmum habuit (Ant. XX 7, 1). — Huic Coelesyriae, longitudine orientali N–S usque ad radices montis Ǧ. Ḳalamûn, adiacebat districtus iuridicus, appellatus:

c) **Syria Mediterranea,** seu **Euphratensis,** cum urbibus: *Beroea* (Chalybon = Ḥaleb), *Hierapolis* (Bambyce = Manbiǧ), *Europus* (= Karkemiš), *Androna* (= Anderîn), *Larissa* (Charybdis = Ḳal'at Seiǧar), *Epiphania* (= Ḥamâ), *Salaminias* (= Selemiyye), *Arethusa* (= er-Rastan), *Laodicea ad Libanum* (= Tell Nebi Mind).

d) **Palmyrene** sita erat ad orientem districtus Syriae Mediterraneae, et ad meridiem flexus Euphratis usque ad Fanum Dianae (Basilia) vel Chanuca (= Zelebiyye). In meridie limites eius fere 34° lat. septentr. tangebant. — Palmyrene usque ad a. 106 maiore autonomia utebatur eratque potius terra socia, quam provincia. Urbs eius praecipua erat *Palmyra* (= Tadmur). Aliae urbes erant: *Thapsacus* (Tifsaḥ = Ṭedeyyên, Dibse ?), *Resapha* (Ser-

giopolis = Resâfe), *Oriza* (= eṭ-Ṭayyibe), *Aracha* (= Erek), *Aueria* (Eumaris = Ḥauwârîn).

Ad meridiem demum horum trium districtuum situs erat conventus iuridicus et administrativus, dictus:

e) **Phoenice,** cuius loco tamen ante a. 105 p. Chr. alia exstabant administrativa territoria, quae (quia ad Palaestinam iam stricte spectant, ideo) hic singillatim consideranda erunt. — Ante a. 105 p. Chr. ad provinciam Syriam (praeter Commagenen, Coelesyriam, Syriam Mediterraneam et Palmyrenen) spectabant:

Phoenice
Territoria Iṭuraeorum
Regnum Agrippae II
Decapolis
Regnum Nabaṭaeorum.

C) — *Phoenice aetate Romana.*

Bibliographia: F. C. Movers, *Die Phönizier* 2 vol. 1841–1856; — E. Renan, *Mission de Phénicie*, Paris 1864; — H. Prutz, *Aus Phönizien*, Geographische Skizzen und historische Studien, 1876; — B. Pietschmann, *Geschichte der Phönizier*, 1889; — G. Rawlinson, *History of Phoenicia*, 1889; — E. v. Mülinen, *Beiträge zur Kenntnis des Karmels* in ZDPV 30 (1907) 118–207; 31 (1908) 1–258; — W. von Landau, *Die Phönizier*, (² 1903); — id *Die Bedeutung der Phönizier im Völkerleben*, 1906; — A. Forder, *Petra, Perea, Phenicia*, London 1923. — Cf. praeterea dissertationes encyclopaedicas, vg. Vigouroux, in eius *Dictionnaire de la Bible* V 228–247; — E. Meyer in Cheyne, *Encyclopaedia biblica* 3730–3765; — H. Guthe in Hauck, Realencyklopädie 18 (³ 1906) 280–302; — A. von Gutschmid in *Encyclopaedia Britannica* XVIII⁹ 801–810. — reliqua vide pp. 88. 100. 101.

Tabulae geogr.: R. Huber, *Carte de la Province du Liban*, Le Caire 1905; — H. Guthe, *Bibelatlas*, 1911, tab. 9–19; de aliis confer pag. 224.

§ 103. — Limites.

Nomine *Phoenices* (Φοινίκη) designari solebat plerumque regio maritima, monti Libano adiacens; praesertim eo tempore, quo maxime splendebat, littus maritimum inter Nahr el-Ḳayyis ad septentrionem, usque ad Nahr Rûbîn (1) in meridiem.

Attamen limes meridionalis saepenumero mutationibus obnoxius fuit. Aetate romana (ab Herode et deinceps usque a. 105 post Chr.) Dora (= Ṭanṭûra), vel accuratius Crocodilon flumen (Nahr ez-Zerḳâ), constituebat limitem a meridie (2). —

Limes orientalis accurate assignari nequit. Certum est, plana et montes littori attiguos ad Phoenicem spectavisse; sed quousque, nescitur. I° saeculo p. Christum possessiones Ṣîdôniorum vg. tangebant ab oriente possessiones Damascenorum (Ant. XVIII 6, 3; — in planitie el-Biḳâ' ?). Ex altera parte Iṭuraei in Libano, in el-Biḳâ' et in Antilibano, per longius tempus non permiserunt Phoenicibus suam dominationem nimis versus orientem extendere. — *Aetate Christi*, sub Agrippa I (37–44 p. Chr.) et postea, Phoenice iam stabiliter obtinebat oram

(1) In periodo persica ultra Nahr Rûbîn; sic vg. ad Tyrum etiam urbes Azotus et Ascalon, ad Ṣîdônem Ioppe tunc spectabat; — similiter in periodo romana, urbes philisthaeae autonomae, ad Syriam spectantes, Phoenices conventui adnumerabantur.

(2) Sec. R. Kiepert fluvius Chorsaeus (= Nahr ed-Difle) erat limes meridionalis.

maritimam circa Doram, montem Carmelum, littus a Carmelo usque ad Nahr el-Ḳayyis, insuper magnam partem Galilaeae septentrionalis (usque ad Iordanem) ac totum Libanum. — Post a. 105 Phoenice, tq. specialis conventus iuridicus provinciae Syriae, maiorem adhuc habuit extensionem. Nam additae sunt ipsi: *a*) regnum Agrippae II (imminutum urbe Iuliade et parte Gaulanitidis, quae Syriae Palaestinae adiunctae sunt); *b*) decapolitanae urbes: Scythopolis, Gadara, Pella, Capitolias.

Phoenice (Act. 11, 19; 15, 3; 21, 2) intra suos limites — quibus aetate Christi ac posteriore tempore, seu aevo "provinciae Iudaeae" definiebatur, — habebat hasce:

§ 104. — Urbes et oppida (a N. versus S).

Aradus (Ἄραδος, ארוד = Ğezîret Arwâd, in insula).

Antaradus (Ἀντάραδος; postea Tortosa = Ṭarṭûs — in littore opposito).

Marathus (Μαραθοῦς = ʿAmrît).

Simyra (Σαμαραῖος = Ṣumrâ).

Arca (Ἄρκη = Caesarea ad Libanum, ערקת לבנה = Tell ʿArḳâ vel ʿIrḳâ).

Orthosia (Ὀρθωσία, אורתוסיה = Arḍ Arṭûzî; sec. Talmud = חסיני; Gen. 10, 17).

Tripolis (Τρίπολις, אטריבולים = Ṭarâbulus).

Calamus (Κάλαμος = Ḳalamûn).

Botrys (Βοτρύς = Baṭrûn).

Byblus (Βύβλος, phoen. Gebal, גבל = Ğebeil).

Aphec (Ἀφεκά; אפק = Afḳâ).

Palaebyblus (Παλαιβύβλος = Ğûniye ?).

Berytus (Βηρυτός = Beirût).

Borrama (= Brummâna ? ?).

Heldua (= Ḫân el-Ḫulda).

Porphyreon (= Maksaba ? ?).

Leontopolis (= el-Helâliyye ? ?).

Sidon (Σιδών, צידון = Ṣaidâ ; — Mt. 11, 21 s. ; 15, 21 ; Mc. 3, 8 ; 7, 24. 31 ; Lc. 4, 26 ; 6, 17 ; 10, 13. 14 ; Act. 12, 20).

Sarepta (Σάρεπτα, Μακρὰ Κώμη, צרפת = Sarafand ; — Lc. 4, 26).

Ornithopolis (Ὀρνιθώπολις = ʿAdlûn ?).

Tyrus (Τύρος, צור = Ṣûr ; — Mt. 11, 21 s. ; 15, 21 ; Mc. 3, 8 ; 7, 24. 31 ; Lc. 6, 17 ; 10, 13. 14 ; Act. 12, 20 ; 21, 3. 7).

Palaetyrus (Παλαιτύρος = Râs el-ʿAin ? ; *N. B.* existentia Palaetyri, non obstante Strabone (*758*), est nonnullis sat dubia).

Yânôaḫ (Ἰανώ, ינוח = Yânûḥ).

Cana (Κανᾶ = Ḳânâ).

Tabnith (Ταφνίθ, תפנית = Tibnîn).

Acsaf (Ἀκσάφ = Ḫ. Aksâf).

Abela[*n*] (Ἄβελα, Ἀβελάνη = Âbil el-Ḳamḥ).

Cydissus (Κύδισσος ; Kedasa, Κέδασα, קדש = Ḳades).

ʿAithelû (עיתלו = ʿAiṭerûn).

Iathir (Ἰαθέρ, יתיר = Yaʿter).

Iereon (Ἰερών = Yârûn).

Alexandroscenae (Ἀλεξανδροσκῆναι = Ḫ. Iskanderûne).

Ecdippa (Ἐκδίππων [-πους, -πα], כזיב — Ἄρκη ; Onom. Ἀχζίφ = ez-Zîb).

Ptolemaïs (Πτολεμαΐς, Calamon ?, Ἄκχω, Acce, עכו = ʿAkkâ ; — Act. 21, 7).

Hepha (Ἡφά, = חיפה = Ḥaifâ).

Sycaminum (Συκάμινος [-ων], שקמינה = Ḥaifâ el-'Aṭîḳa ?, Tell es-Semak ?, Tell Abû Huwwam ?).

Castra (קסטרא) = *Magdiel* [Μαγδιήλ] ? = 'Atlît.

Dora (Δῶρα, Λοῦρα [-ρος], דור, דאר = Ṭanṭûra).

Certha ? (Itin. Hieros. 585) ad Chorsaeum Fl. (= Nahr ed-Difle ?) sec. Ptolem. (V 14, 4), limitem inter Syriam Palaestinam constituebat = Ḳartâ (Ios. 21, 34) ?? = Ḥ. el-Kenîse ?

Phoenices urbibus etiam *Laodicea* (= antea Ramantha, Ramintha = Leuce Acte) a scriptoribus graecis adnumeratur, quam plures eandem atque hodiernam urbem el-Lâdiḳiyye esse putant dicendo, eam quidem ad Phoenices pertinuisse, sed extra Phoenicae limites sitam fuisse. Renan et Pietschmann (*Geschichte der Phönizier*, p. 72 ss.) admittunt aliam Laodiceam phoeniciam " *metropolim in Kana'an* „, in ipsa Phoenice sitam, eamque in Umm el-'Amûd (16 km. S a Tyro) quaerunt ; Rouvier (1) " *Laodiceam metropolim in Kana'an* „ Berytum (non tamen romanam, quae = Beirût, sed Be'êrôt) phoeniciam esse censet, quae magis ad meridiem, inter W. eš-Šuweifât et Nahr el-Ġadîr sita erat.

§ 105. — Phoenicum nomen provenit a Graecis qui Φοῖνιξ, Φοίνικες incolas partis littoris syriaci appellabant, (cf. supra § 37). Inde derivatum est graecum Φοινίκη (Odys. IV 83 ; XIV 291 ; Herod. II 44 ss. ; Thucyd. II 69) et latinum *Phoenice* (Cicero Acad. II 25). Vocabulum Phoenice in Scriptura solum 2 Mac. (3, 5. 8 ; 4, 4. 22 ; 8, 8 ; 10, 11) et Act. (11, 19 ; 15, 3 ; 21, 2 ; 27, 12) occurrit.

(1) *Revue numismatique* 1896 ; cf. *R B.* 7 (1898) 272–275.

Praeter genericum nomen Kana'an (v. supra § 37), omnes Phoenices apud antiquos appellabantur Sidonii, ab urbe tunc florentissima (cf. Odys. XV 415 ; XVII 424 ; Ilias VI 289 ; XXIII 743), quem morem S. Scriptura ordinarie (1) sequitur (Deut. 13, 9 ; Ios. 13, 4. 6 ; Iud. 3, 3 ; 10, 12 ; 18, 7. 28 ; 3 Reg. 5, 6 (20) ; 11, 1. 33 ; 16, 31 ; Ez. 32, 30). Aetate persica hic mos in desuetudinem abiit (Neh. 13, 16 ; Ioël 4, 4 ; Zach. 9, 2 ; 1 Mac. 5, 15). — In N. T. " Tyrus et Sidon „ simul iunctae, in genere Phoenicem designare solent (Mt. 11, 21 s. ; 15, 21 ; Mc. 3, 8 ; 7, 24. 31 ; Lc. 6, 17 ; Act. 12, 21).

Incolae Phoenices, aetate Christi, in urbibus habitantes, magna ex parte iam hellenizati fuerunt, in vicis tamen et territoriis dependentibus, adhuc aramaica (phoenicia) dialectus in usu erat. Religionis paganae, autonomia satis ampla utentes, dediti intenso commercio (vitra, odorum merces, purpura, textum, metallica obiecta, — cf. Strabo XVI 2, 22. 23. 25), divitias ingentes accumulabant, quamvis iam pristino splendore et commercii exceptione privati essent. Reliqua, quae ad Phoenices spectant, in tractatu ethnographico discutiuntur ; — cf. etiam §§ 37–38.

(1) Exceptis Gen. 10, 19 ; Iud. 1, 31 ; 2 Sam. 24, 6 ; 3 Reg. 17, 9 (= Lc. 4, 26) ; Is. 23, 2. 4. 12 ; Ez. 28, 21. s. — ubi de urbe ipsa Ṣîdône eiusque incolis est sermo.

D) — *Territoria Ituraeorum et Ituraei.*

Bibliographia : E. Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes* I (⁴ 1901) 707–725 cum copiosa litteratura ; — Dissertationes in Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible*, I 50–51 (Abila); III 1039–1042 (Iturée — *E. Beurlier*), IV 455–457 (Lysanias — *E. Beurlier*); — H. Guthe, in Hauck, *Realencyclopädie* ³ I 99–101 (Abilene), IX 573 s. (Ituräa) ; — G. A. Smith, in Hastings, *Dictionary of the Bible*, II 521 s. (Iturea); — idem *Historical Geography of the Holy Land* (¹² 1906) 544–547, 554; — Hagen, *Lexicon biblicum*, diss. " Abilene „, " Ituraea „, " Lysanias „.

§ 106. — Initia Ituraeae.

Ituraeam (Ἰτουραία) commemorat S. Lucas (3, 1) enumerando principes et Palaestinae dynastas, cum Ioannes Bapt. suum ministerium incepit (¹). Huius regionis nomen Ituraeis debetur, qui Arabes origine, nomadice viventes, sub Persis saec. VI et V occuparunt primo deserta syriaca, dein paulatim regiones Ḥaurâni, Damascenam et Libanum, septentrionalem Galilaeam et ex parte stabiles sedes ibi fixerunt (Strabo XVI 2, 20). In Galilaea superiore Aristobulus I (104–103 ante Chr.) eos devicit, parte territorii privavit et regionis devictae incolas aut patriam deserere aut circumcidi et iudaizari coëgit. Hi igitur Ituraei iudaizati e scena historiae disparent. Plurimi tamen, qui Libanum, Anti-Libanum et planitiem Massyae (= el-

(¹) Quo anno id acciderit, an 30 p. Chr., an 26, pendet ab exegesi phrasis " anno 15 Tiberii Caesaris „ ; — utrum videlicet sumatur annus 15 eius condominationis cum Augusto (id quod accidit versus finem a. 11 post Chr.), an ab eius exclusivo principatu post mortem Augusti. Primum videtur probabilius.

Biḳâʿ) incolebant, brevi post sub proprio dynasta *Ptolemaeo Mennaei* (Πτολεμαῖος ὁ Μενναίου, 85–40 ante Chr.) independens dominium cum regia urbe Chalcide (Χαλκίς = Ḥ. ʿAnǧar) constituerunt. Eorum incursionibus versus Byblum et Damascum Pompeius finem imposuit (Strabo XVI 2, 10, 18; Ant. XIII 15, 2; 16, 3; B. I. I 5, 3; 7, 8).

Ptolemaeo mortuo (a. 40 a. Chr.), eius filius Lysanias (I[us]) throno potitus est. Eius regnum (40–34 ante Chr.) a Damasco usque ad mare Mediterraneum protendebatur. Hunc potentem " regem Iṭuraeorum „ (Dio Cassius XLIX, 32) Antonius morte affecit a. 34 (Ant. XV 4, 1; B. I. I 22, 3); regnum Ituraeorum [reapse] in partes dilapsum est.

§ 107. — Iṭuraeae divisiones ac limites.

Duae partes Iṭuraeae imprimis distinguendae sunt, vdl.: septentrionalis et meridionalis.

1) Pars septentrionalis, *Iṭuraea* κατ' ἐξοχήν, — complectens Libanum, planitiem Massyae (= el-Biḳâʿ) et Antilibanum (cum Ḥermône) versus Damascum et el-Ḥûle — ab Antonio data est Cleopatrae atque magna ex parte in eius potestate ad 31 a. Chr. permansit; postea ab indigenis dynastis videtur recuperata. Circa a. 3 (?) a. Chr. Romani sub Q. Aemilio Secundo subiugarunt independentes Iṭuraeos Libani; proindeque tota *Iṭuraea septentrionalis* a legatis Syriae directe administrata fuisse videtur usque ad a. 26 vel 30 p. Chr. — Sec. Guthe (Bibelatlas 15) Iṭuraea haec (septentrion.) comprehendebat tunc montes Libani medii et septentrionalis, oram maritimam circa urbem Botryn, planitiem Massyae

(= el-Biḳâ') fortasse de 33° 30′ — 34° 30′, et totum Antilibanum cum Ḥermône.

Urbes ituraicae erant tunc: Botrys (= Baṭrûn), Apheca (= Afḳâ), Heliopolis (= Ba'albekk), Chalcis (Ḥ. 'Anğar), Abila Lysaniae (= Sûḳ W. Baradâ), Chalybon (= Ḥalbûn). Haec pars Ituraeae septentr., labente tempore, in varia distincta territoria dilapsa est, quae fuerunt:

α) **Abilene.** — Circa a. 26 vel 30 p. Chr., imperante Tiberio Caesare, pars Ituraeae, vdl. Antilibanus (cum Ḥermône), administratur a Lysania [II°] quodam, cum titulo " tetrarcha in *Abilene* „, ut patet ex inscriptione graeca inventa Abilae (1), ex aevo Tiberii Caesaris, in qua nomen Lysaniae tetrarchae occurrit, quem etiam Iosephus (Ant. XVIII 6, 10; XIX 5, 1; XX 7, 1) commemorat, loquendo (post mortem Herodis M.!) de τετραρχία Λυσανίου. Hanc tetrarchiam Abilenes, adhuc multo post vocatam tetrarchiam Lysaniae (utique II°), Caligula a. 37 donavit Agrippae I (37–44) regi, simul cum tetrarchia Philippi (Ant. XVIII 6, 10), quam donationem Claudius (a. 41) confirmavit et auxit (Ant. XIX 5, 1). Defuncto Agrippa I totum eius dominium a romanis Iudaeae procuratoribus administrabatur (44–53 p. Chr.), donec a. 53 idem Claudius tetrarchiam Philippi et Abilenen (" Lysaniae „) Agrippae II (53–100) cum titulo regio concessit (Ant. XX 7, 1; B. I. II 12, 8). Mortuo Agrippa II (a. 100 post Chr.), utrumque eius regnum directae legatorum Syriae administrationi commissum est.

(1) Cf. *Corpus Inscript. Graec.* n. 4521 et *Addenda* p. 1174, atque etiam ea, quae de hac re habet Schürer (l. c. I p. 718 s.).

Nomen tamen Lysaniae tetrarchae simul cum nomine urbis Abilae diutius permansit, fortasse ad distinguendam hanc urbem ab Abila Syriae, Decapoleos et Peraeae. Adhuc Ptolemaeus (V 15, 22) Abilam Lysaniae vocat: Ἄβιλα ἐπικληθεῖσα Λυσανίου.

Limites Abilenes difficulter determinari possunt. Certo ad Abilenen spectavit: territorium antiqui fluvii Chrysorrhoae (hodie W. Baradâ); — probabiliter pars orientalis Antilibani et Ḥermôn totus. Regia eius *Abila Lysaniae* (= Sûḳ Wâdi Baradâ) in orientali declivio inferioris Antilibani sita est, ubi hodie ruinae quaedam conspiciuntur. In vicinia inscriptio antiqua (ex a. 163–165 p. Chr.) saxo insculpta cernitur, quae hic fuisse Abilam antiquam evidenter probat; habet etenim: Marcus Aurelius et Lucius Verus "viam fluminis vi abruptam interciso monte restituerunt ... impendiis *Abilenorum* „. — Ex aliis oppidis notis ad Abilenen tunc numerabantur: *Chalybon* (= Ḥalbûn), *Rachla* (= Reḥlâ), *Ina* (Hîne).

β) **Ituraea in Libano** sita. — Aliam partem Ituraeae septentrionalis, vdl. Libanum, Caligula (a. 38 p. Chr.) a provincia Syria separavit, eamque Soëmo cum titulo regis dedit (1) (Dio Cass. LIX, 12). Post Soëmi mortem (a. 49 p. Chr.) territorium hoc de novo provinciae Syriae est additum (Tacit. Ann. XII 23), et ex eo militares alae cohortesque Ituraeorum pro exercitu romano formatae sunt. Urbs princeps (ad tempus) fuit *Botrys* (= Baṭrûn).

γ) **Chalcis** erat tertia pars regionis ituraicae septentrionalis. Eius *historia* a morte Lysaniae I[1] (a. 34 ante Chr.) usque ad 41 post Chr. est prorsus ignota. Fieri potest, ut ea usque ad a. 3 (?) a. Chr. sub indigenis dynastis fuerit, iuncta Ituraeae libanicae et Abilenae; deinde usque ad 37 p. Chr. sub legatis Syriae, postea forte sub Herode Agrippa I. Anno 41 p. Chr. Claudius eam

(1) *Guthe* (Bibelatlas, tab. 18) hosce Soëmi fines non exacte determinat.

dono dedit eius fratri, nepoti vero Herodis M., *Herodi Minori* regi (41–48 p. Chr.), cum titulo praetoris, qui insuper (ab a. 44 p. Chr.) etiam patronatus iura in templum ierosolymitanum exercebat (Ant. XX 1, 3 ; 5, 2). Post Herodis mortem (a. 48) Chalcidem administrarunt legati Syriae (per 2 annos) ; dein Herodes Agrippa II rex (50–53) (1) ; rursus de novo legati Syriae ; c. a. 72 Aristobulus quidam rex (B. I. VII 7, 1 ; num filius Herodis chalcidici ? [B. I. II 11, 6]) ; postmodum legati Syriae.

Limites Chalcidis ad solam planitiem el-Biḳâʿ videntur fuisse restricti, prob. a radicibus meridionalibus Antilibani usque ad Heliopolin inclusive. Regia urbs erat *Chalcis* (= Ḥ. ʿAnǧar), quae toti huic territorio etiam nomen dedit.

II) Pars meridionalis regni Lysaniae I[1] appellari potest :

§ 108. — **Ituraea** (*Zenodori*). — Comprehendebat regiones S et SE Ḥermônis, dictas Οὐλάθα (= Arḍ el-Ḥûle) et Paneas (= Bâniyâs), usque ad Trachonem inclusive. Nomen traxit a *Zenodoro* quodam, qui terrae huius regionem cum titulo tetrarchae pecunia a Cleopatra impetravit, c. a. 34 ante Chr. Sed quia in Trachone praedationi operam dabat, Trachon ipsi ab Augusto a. 23 ablatus est, et Herodi M. (una cum Batanaea et Auranitide) donatus. Zenodoro (a. 20) mortuo, Augustus Herodi M. etiam Ulatham et Paniadem adiecit (Ant. XV 10, 1–3 ; B. I. I 20, 4). Defuncto Herode M. totam hanc regionem ituraicam (Ulatham, Paneadem), Trachonem cum Bata-

(1) qui (a. 53) cedendo Chalcidem, rex maioris regni devenit.

naea et Auranitide Augustus dedit Herodis M. filio, *Philippo*, qui a S. Luca (3, 1) breviter " tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis regionis „ nominatur, i. e. tetrarcha (antiquae) Ituraeae (meridionalis) et Trachonitidis, quo nomine a. S. Luca reliquae provinciae partes designantur, imprimis ipse Trachon (= el-Leǧâ), dein Auranitis (= Ḥaurân), Batanaea (= Bâšân) et Gaulanitis (= Ǧôlân). — De hac tetrarchia sermo (§§ 111–118) recurret.

§ 109. — Incolae.

Territoria ituraica, quae modo nominavimus, magna ex parte Ituraei incolebant ; incolae hellenizati solum in maioribus urbibus (ut Chalcide, Abila, Heliopoli) habitabant. — Ituraei a scriptoribus coaevis saepe Syri vel Arabes appellati sunt. Erant enim re ipsa tribus arabicae, ab Ismaële descendentes. Eorum parens יְטוּר inter Ismaëlis filios numeratur (Gen. 25, 15 ; 1 Par. 1, 31). — Sec. 1 Par. 5, 19 Ituraei foedere iuncti Agarenis erant, adeoque iam tunc (ante Davidem ? ?) deserta syriaca (?) incolebant. Saec. VI et V versus Syriam magis progredi coeperunt, occupando regiones ad orientem Ḥaurâni sitas, ipsum Ḥaurân, Damascenam planitiem, Antilibanum, el-Biḳâʿ ac denique Libanum. — Aetate Christi, licet origine Arabes, erant tamen multum aramaizati. Erant " omnium gentium maxime barbara „ gens, iudicio Ciceronis (Philipp. II 112), praedationibus dedita. Sagittarii optimi, a Romanis hanc ob causam libenter adhibiti et multum laudati erant (Cf. *Caesar*, Bell. Afric. 20 ; *Virgil.* Georg. II 448 ; *Lucan.*, Pharsala VII 230. 514).

§ 110. — Schema regiminis territoriorum ituraicorum

85-40 ante Chr. Ptolemaeus Mennaei (dynasta)
40-34 „ Lysanias [I] rex
34 „ regnum dividitur :

Pars septentr. [Liban., Antilib. Ḥermôn, el-Biḳâ']	Pars merid. *Iṭuraea* (Zenodori)
34-31 Cleopatra	34-20 a. Chr. Zenodorus tetrarcha
31-3 dynastae proprii (??)	20-4 „ Herodes M. rex
3 a.-26 vel 30 p. Chr. legati Syriae	4 a.-34 p. Chr. Philippus tetrarcha
circa 26 vel 30 post Chr. dividitur :	34-37 „ legati Syriae
	37-44 „ Her. Agrippa I rex
	44-53 „ procurat. Iudaeae
	53-100 „ Her. Agrippa II rex
	100 et deinceps legati Syriae

Abilene (tetr. Lysaniae)	*Iṭuraea in Libano*	*Chalcis*
26-37 (?) Lysanias tetrar.	26-38 legati Syriae	26-37 legati Syriae (?) ;
37-44 Herod. Agrip. I rex	38-49 Soëmus	37-41 Her. Agr. I rex (?) legati Syriae (?)
44-53 procuratores Iud.	post 49 (ad Phoenicen) legati Syriae	41-48 Herodes rex
53-100 Her. Agrippa II rex		48-50 legati Syriae
100 et deinc. legati Syriae		50-53 Her. Agrip. II rex
		53-? legati Syriae
		c. 72 Aristobulus rex
		deinceps: legati Syriae

E) — *Tetrarchia Philippi seu Regnum Agrippae II.*

Bibliographia : *a*) I. G. Wetzstein, *Reisebericht über Hauran und die Trachonen*, 1860 ; — E. G. Rey, *Voyage dans le Haouran*, 1860 (cum atlante) ; — A. Chauvet et E. Isambert, *Syrie et Palestine*, (1887) 494–551 ; — G. Schumacher, *Across the Jordan* (1886) 20–40, 103–242 ; — idem, *The Jaulân* 1888 (cum tabula) ; idem germanice in ZDPV 9 (1886) 167–368. — H. Guthe, *Dr. A. Stübels Reise nach der Diret et-Tulul und Hauran* 1882, in ZDPV 12 (1889) 225–302 (cum tabula). — G. Rindfleisch, *Die Landschaft Hauran in römischer Zeit und in der Gegenwart* in ZDPV 21 (1898) 1–46 (cum tabula) ; — M. Sejourné, *A travers le Hauran* in RB (1898) 275–287, 596–611 ; — M. de Vogüé, *Syrie centrale* 2 vol. 1866. — R. E. Brünnow u. A. von Domaszewski, *Die Provincia Arabia*, tomus III (1909) 1–215 (de Ḥaurân occidentali).

b) Articuli : A. Legendre, in Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible* I 1153–1258 (Auran) ; 1486–1490 (Basan) ; III 116–118 (Gaulon) ; V 2296–2298 (Trachon) ; — Cf. art. Trachon, Ulatha, in Encyclopaediis Cheyne, Smith, Hastings, Hagen, Hauck, etc.

§ 111. — Nomen.

Titulo " *regni Agrippae* „ Ἀγρίππα βασιλεία (B. I. III 3, 1), omnes illae regiones, quas rex Agrippa II (53–100) gubernavit, a Iosepho designantur. Erant vero (incipiendo a NW) : Abilene, Ulatha+Paneas (= Ituraea Zenodori), Gaulanitis, Batanaea, Trachonitis, Auranitis. Ultima quinque territoria (sic dicta tetrarchia Philippi) a temporibus Herodis M. semper simul erant administrative iuncta ; Herode M. defuncto hanc " *tetrarchiam Philippi* „ gubernarunt :

Philippus tetrarcha	4 ante — 34 p.	Chr.
Legati Syriae (L. Vitellius)	34 — 37	„

Herodes Agrippa I rex	37 — 44	p. Chr.
Procuratores Iudaeae	44 — 53	„
Herodes Agrippa II rex	53 — 100	„
Legati Syriae	100 et deinceps.	

Abilene vero demum ab a. 37 p. Chr. huic districtui stabiliter iuncta est, cum antea partem Iṭuraeae (septentrionalis) constituerit. — Videamus ex ordine singulas hasce provincias :

§ 112. — Partes regni Agrippae II[1].

a) **Abilene** (Cf. § 107 α).

b) **Ulatha** (Οὐλάθα καὶ Πανεὰς καὶ ἡ πέριξ χώρα) appellatur a Iosepho (Ant. XV 10, 3) tota regio ad radices meridionales Ḥermônis sita usque ad lacum el-Ḥûle ; hodie ergo : *Arḍ el-Ḥûle*. Haec regio, olim Iṭuraeorum, ab Herode M. a. 20 ante Chr. acquisita, appellatur a S. Luca (3, 1) Ἰτουραία " Ituraea „, nam olim partem Iṭuraeorum possessionis constituebat et insuper ab Iṭuraeis incolebatur. — *Limites* eius : ab occidente radices montium galilaicorum, qui iam ad Phoenicem spectabant ; ab oriente vero lacus Phiale (= Birket Râm) et initia vallis W. er-Raḳḳâd, in meridie Gaulanitis.

Urbs princeps Ulathae erat *Caesarea Philippi* (Mt. 16. 13 ; Mc. 8, 27), sedes tetrarchae, a Philippo tetrarcha fere de novo exstructa, loco antiquae Paneadis, prope sanctuarium deo Pani consecratum sita ; subinde etiam Neronias appellata ; hodie vero Bâniyâs. Alia oppida erant : *Dan* (=Tell el-Ḳâḍî), *Daphne* (= Ḥ. Dafne), *Semechon* (= Summâḳa) etc.

§ 113. — *c*) **Gaulanitis** (Γαυλωνῖτις) erat initio districtus urbis Gaulanis, antiquitus Gôlân (Gaulon, Γαυλών ; — Deut. 4. 43 ; Ios. 20, 8 ; 21, 27 ; 1 Par. 6, 56), hodie Saḥem el-Ǧôlân dictae.

Gaulanitis Iosephi protendebatur ad orientem lacus Semachonitidis Iordanis medii et lacus Gennesar. A septentrione limitem eius efficiebat fortasse W. Dabûra (affluens lacus el-Ḥûle) ; a meridie vero W. es-Samak, usque ad Nahr er-Raḳḳâd (affluentem Yarmûki), dein ipse Yarmûk usque ad ostium Nahr el-'Allân, qui probabiliter limitem orientalem Gaulanitidis efficiebat.

Iosephus (B. I. IV 1, 1) distinguit Gaulanitidem inferiorem et superiorem. In superiore fuere urbes : *Sogane* (= el-Yehûdiyye ?) urbs princeps ; dein : *Seleucia* (= Selûḳiye), *Iulias* (= et-Tell) et *Bethsaida* (II[a]) (= el-'Araǧ ; — Mt. 11, 21 ; Mc. 6, 45 ; 8, 22 ; Lc. 9, 10 ; 10, 13 ; Ioh. 1, 44 ; 12, 21).

Gaulanitis inferior (ad meridiem vallis W. Bâzûk) constabat urbibus et oppidis : *Gamala* (= Ǧamli), *Kochaba* (= Kôkab), *Bathyra* (= Beit Erî), *Gaulane* (= Saḥem el-Ǧôlân), etc.

§ 114. — *d*) **Batanaea** (Βαταναία) respondet ex parte antiquo בָּשָׁן, de quo toties in V. T. sermo recurrit, quod tamen ampliorem extensionem, quam Batanaea I[i] aevi p. Christum, habuisse videtur. Nam Bâšân in V. T. comprehendebat totam regionem inter Ḥermônem, Yarmûk et Ḥaurânum (Deut. 3, 10 ; Ios. 12, 4 ; 13, 11 ; 1 Par. 5, 23) ; aetate vero Christi in antiquo illo Bâšân erant distincti tres districtus : vdl. Batanaea, Trachonitis et Auranitis.

Geographi et historici circa Batanaeae *delimitationem* satis inter se decertarunt. Nonnulli (ut Porter) Batanaeam collocabant ad orientem el-Leǧâ, in regione quae hodie Arḍ el-Beṭeniyye appellari consuevit; alii (ut Wetzstein, Waddington et hodie plurimi primae notae auctores) Batanaeam ad occidentem el-Leǧâ statuunt, proinde inter Nahr el-'Allân ab occidente et el-Leǧâ ab oriente. Limitem septentrionalem Batanaeae probabiliter Tell el-Ḥârra (1107 m.) constituebat; limitem meridionalem videre fortasse licet in W. eḍ-Ḍeheb. Batanaea igitur, sic delimitata, fertilissimae regioni en-Nuḳra fere aequivalet.

Oppida huius regionis (ex parte aevi posterioris) fuerunt:

Thersila vel *Tharse* (Θάρση, Θαρσάλη, Θαρσίλα = Tsîl?, regia Batanaeae).

Alima (= 'Ilmâ; — 1 Mac. 5, 26).

Astaroth ('Ασταρώθ, עשתרות = Tell el-Aš'arî? Tell 'Aštara?).

Carneas, *Carnium* (Καρναείν, קרנים = Šeiḫ Sa'd?, el-Merkez?).

Casbon (Κασπίν [2 Mac. 12, 13 ss.], Χασφομάκη = Tell eš-Šihâb).

Delmundum (= Tell 'Ameidûn).

Newe (Νεύη, Νινεύη, נוה = Nawâ).

Pentacomias (Πενταχώμια = Bendak).

Raphana (Râfôn, Ῥαφανέαι = er-Râfe?, Zeizûn??; — 1 Mac. 5, 37) (vide infra § 127).

Sec. plures etiam *Adraa*, (Adraba, Ἄδρα, Edre'î = Der'â) ad Batanaeam spectabat. Hoc quidem verum est de temporibus antiquioribus; aevo tamen Christi

Adraa certo erat in possessione Nabaṭaeorum, sicut *Raphana* ad Decapolim spectabat (cf. §§ 127. 137 a).

§ 115. — *e*) **Trachonitis** (ἡ Τραχωνῖτις χώρα, Lc. 3, 1) apud Iosephum ὁ Τραχών (Ant. XVI 9, 1) et ἡ Τραχωνῖτις (Ant. XVII 2, 1) appellatur. Sec. Iosephum Batanaeae vicina erat (Ant. XVII 2, 1. 2), in occidente usque ad regiones Ulathae porrigebatur (Ant. XV 10, 3), in meridie vero usque ad radices Alsadami montis (= Asalmanus M. = Ṣalmôn = Ğ. ed-Drûz = G. Ḥaurân) protendebatur (Ptolem. V 15). Haec omnia, sicut ipsum nomen τραχών (= locus asper) in regionem vulcaniam, lapidibus obrutam, quae hodie el-Leğâ appellatur, nos sponte conducunt. Inscriptio vero in el-Mismiye (antiquitus Phaena) inventa, in qua haec urbs μητροκωμία τοῦ Τραχῶνος appellatur, rem hanc evidenter demonstravit. Regio tota est arida, speluncis ac lapidibus abundans.

Trachonitis ob suam extensionem (usque ad Ulatham; an ad Nahr er-Raḳḳâd?) aliis districtibus tetrarchiae Philippi maiorem, — tum a S. Luca (3, 1), tum a Philone (Legat. ad Caium § 41), tum a Iosepho (Ant. XVIII 5, 4) ad totam Philippi tetrarchiam breviter denotandam [simul cum Iṭuraea = Ulatha] adhibetur, sicut vg. ad designandam breviter Antipae tetrarchiam dicebatur: ἡ Γαλιλαίων τετραρχία.

Urbes et oppida praecipua, ex parte posteriora:
Phaena (= el-Mismiye).
Savara (Suwârat el-Kebîre?).
Borechath Sabaeorum (= Brêke?, Ṣumêd?).
Aerita (= ʿÂhire).
Agraena (= Ğurên).

Saura (= Sûr).
Habiba (= Ḫabeb).
Aera (= eṣ-Ṣanamên).
Asichon (= Kefr Nâsiğ).
Acraba (= el-'Aḳrabe, prope Tell el-Ḥârra).
Zoraa (= Ezra').
Bosor (1 Mac. 5, 26. 28. 36 = Buṣr el-Ḥarîrî).
Doroa (= ed-Dûr).
Rimea (= Rîmet el-Lôf).

§ 116. — *f*) **Auranitis** (Αὐρανῖτις) — cuius nomen חורן occurrit probabilissime iam apud Ezech. (47, 16. 18) — adhuc hodie permansit in Ǧ. Ḥaurân, monte qui in Scriptura appellatur Salmôn (Ps. 67, 15). Quidquid dici potest de extensione et situ חורן Ezechielis, de quo disputatur, — aetate Christi, ut ex Iosepho patet, Auranitidis nomine pars a Batanaea distincta designabatur (Ant. XV 10, 1; XVII 11, 4; B. I. I 20, 4; II 17, 4) et quidem pars meridionalis (SE). Eius accurati limites statui non possunt. Hoc unum e catalogo urbium videtur probabilissimum, occidentalia Ǧ. Ḥaurâni declivia ad Auranitidem pertinuisse (num exclusive ?).

Urbes et oppida, in geographica Auranitide sita, quorum tamen nonnulla ad Decapolin, alia ad Nabaṭaeos politice spectabant (cf. infra), fuerunt haec (a N versus S):
Saccaea (Constantine ? = Burâḳ Šaḳḳâ ?).
Genena (= Ǧunêne).
Malcaea (= el-Mâlakiyye).
Namara (= Nimrâ).
Tharba (= Tarbâ).
Egla (= Ḳaryet el-'Ağêlât).

Neela (Nelcomia = el-Mušennef ?).
Bosana (= Bûsân).
Suntha (= Sa'me ?).
Salamanestha (= Sâlâ).
Salcha (Salka = Tricomia ? = Salḫad).
Motha[na] (= Imtân).
Bostra (Nova Traiana Bostra = Boṣrâ).
Aphetat (= el-Afîne ?).
Hebrana (= Ḥebrân).
Erra (= 'Îre).
Capra (= el-Kafr ?).
Orsua (= Reṣâṣ).
Arra (= er-Râḥâ).
Soada (Dionysias = es-Suwêdâ).
Seia (= Sê').
Canatha (Canotha = et el-Ḳanawât).
Athela (= 'Aṯîl).
Selaema (Solyma = Ḫ. Sulêm).
Ormiza (= es-Siğn ?; el-Mezra'a ?).
Migdala (= el-Meğdel).
Mardocha (= Murduk).
Philippopolis (= Šuhba, 'Ormân).

§ 117. — Limites tetrarchiae Philippi totius hi fere erant. A septentrione: regiones *Abilenes* (radices Ḥermônis) et *Damascenes* (Nahr el-Ǧennâni, Ğ. el-'Abâye); — ab oriente: *regnum Nabaṭaeorum* (orientales Trachonis fines: Arḍ el-Fedayên, Arḍ el-Beṯeniyye, Ḥaurâni orientalia declivia); — a meridie: limes sat incertus ob *territoria Decapoleos* non satis determinata (cf. § 128); versus occidentalem meridiem (SW) videtur

fines constituisse Yarmûk medius (usque ad ostia Nahr er-Raḳḳâd), dein W. es-Samak ; — ab occidente : *Galilaea :* (lacus Gennesar a W. es-Samak, dein Iordanes medius) et *Phoenice* (montes Galilaeae superioris usque ad Merǧ ʿAyûn).

§ 118. — Incolae tetrarchiae Philippi. — Provincia haec habitatores omnium maxime mixtos habuit, inter quos tamen gentiles aramaizati praevalebant. Iosephus commemorat Iudaeos et Syros (B. I. III 3, 5), sed Syrorum nomine omnes non Iudaei vel non iudaizati, qui maiore numero erant, intellegendi sunt. Illi non Iudaei fuerunt partim incolae stabiles sedes habentes, partim seminomades et praedones, quos tamen Herodes M. aliquomodo compescuerat. Nam ad ordinem creandum colonos Iudaeos e Babylone conduxit, quos in Batanaea collocavit (Ant. XVII 2, 1–3) ; alia vice idem Herodes in Trachonitidem tria millia Idumaeorum induxit (Ant. XVI 9, 2), eisque colonias distribuit. Denique coloniae graecae (Canatha et Raphana) addiderunt Semitis populum cultiorem heterogeneum.

CAPUT XVI

Hellenismus Palaestinensis, Decapolis et coloniae Romanae

Bibliographia : De Champagny, *Rome et la Judée aux temps de la chute de Néron*, 1 (1865) 107-154 ; — Friedländer, *De Iudaeorum coloniis*, 1876 ; — idem, *Das Iudenthum in der vorchristlichen griechischen Welt*, 1897 ; — idem, *Der vorchristliche jüdische Gnosticismus*, 1898 ; — G. Droysen, *Geschichte des Hellenismus*, ² 1887 s. cum 5 tabulis (I. E. Kieperti) ; — Willrich, *Juden und Griechen vor der Makkabäischen Erhebung*, 1895 ; — Mahaffy, *Greek Life and Thought from the Age of Alexander to the Roman conquest*, ² 1896 ; — I. M. Strack, *Die Dynastie der Ptolemaeer*, 1897 ; — B. Niese, *Geschichte der griechischen und makedonischen Staaten seit der Schlacht bei Chäronäa*, 3 vol. 1893-1902 ; — Hölscher, *Palästina in der persichen und hellenistischen Zeit*, (1903) 26-50, 67-82 ; — P. Wendland, *Die hellenistisch-römische Kultur*, (in " *Handbuch zum Neuen Testament* „ I 2) 1907 ; — W. Otto, *Priester und Tempel im hellenistischen Aegypten*, 2 vol. 1908 ; — I. Kaerst, *Geschichte des hellenistischen Zeitalters*, 2 vol. 1909 ; — E. Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes*, 2 (⁴ 1907) 27-222 ; 3 (⁴ 1909) 1-135, 304-562.

Dissertationes : F. Prat, in Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible*, III 575-583 (Hellénisme, Helléniste) ; — Fr. Buhl, in Hauck, *Realencyclopädie*, t. 7, p. 623-627 ; — Conybeare, in Hastings, *Dictionary of the Bible*, t. 2, p. 260-263 ; — C. Siegfried, *Ueber den jüdischen Hellenismus* in Zeitschrift für wissensch. Theol. 18 (1875) 475 ss. ; — idem, *Bedeutung und Schicksal des Hellenismus in dem Leben des jüdischen Volkes* in Jahrb. für protest. Theologie 1 (1886) 228 ss.

A) — *Hellenismus palaestinensis.*

I) — **De hellenismo palaestinensi praeambula.**

N. B. Hellenismi in genere et hellenismi palaestinensis in specie origo, natura, character, historia, effectus etc. in Palaestinae iudaicae historia narrantur. Hic ea tantum afferentur, quae praeteriri non possunt, ut politico-geographicus ac ethnographicus status Decapoleos et urbium hellenisticarum palaestinensium recte diiudicari queat.

§ 119. — Alexander M. expeditione sua contra Persas Orientem antiquum coloniis graecis tanquam immensa rete cooperuit, id quod successores eius continuarunt. Quo factum est, ut Oriens satis brevi temporis spatio hellenizaretur, eo fere sensu et gradu, quo vg. aetate Ludovici XIV Europa gallizata erat ; — vdl. classes superiores societatis humanae ideis, artibus, litteris ac studiis Graecorum imbutae sunt, quibus omnibus tq. vehiculum quoddam aptissimum ipsa etiam lingua graeca necessario iuncta est. Ingens tamen populi inferioris massa, a lingua aramaica [quae a magistratibus occidentalis partis regni persici adhibebatur] antea iam subiugata, hanc suam linguam (aramaicam) non abiecit, licet eam vocabulis hellenisticis, hic plus ibi minus, repleverit. Lingua vero graeca (ἡ κοινὴ διάλεκτος) a cultioribus, a magistratibus ceterisque in usu habita est, praecipue in culturae, litterarum ac humanitatis hellenisticae centris, ut in urbibus, residentiis curiisque principum, sedibus magistratuum, denique ubicumque coloniae graecae sunt conditae.

Praeter linguam et culturam (scientias, artes, mores, minutias vitae quotidianae, etiam instituta graeca : ut po-

litica civitatum urbiumque organizatio, administratio, ius, dein ideae religiosae et pantheon graecum (quod facillime aliis diis sese accomodabat eosque graeca veste induebat), simul cum hellenismo — sicut ubique — ita etiam in Palaestinam invasit.

§ 120. — **Historia hellenismi in ipsa Iudaea** quattuor periodis absolvitur :

1. periodus (*332–166 ante Chr.*) exhibet tempora continui victoriosi progressus hellenismi apud Iudaeos, quorum aristocraticae classes libenter hellenismum recipiunt et propagant ; dum e contra "pii „ חֲסִידִים 'Ασιδαῖοι (1 Mac. 2, 42 ; 7, 13) influxui huic se et populum subtrahere conantur.

2. periodus (*166–141*) potens reactio contra hellenismum sub primis Machabaeis, quae hellenismum e religionis sphaera fugavit et libertatem politicam populo evicit.

3. periodus (*141–37*) "pacificae cohabitationis„ (sensu sat relativo) hellenismi cum iudaismo sub Hasmonaeis.

4. periodus (*37 ante – 135 p. Chr.*) : victoria hellenismi in rebus culturae sub Herode et Herodiadis, quae praecipue promota et effecta est eo, quod et ipse Herodes, eiusque successores, ad instar graecarum, plures condiderant aut reconstruxerant urbes, in quibus non solum omnia culturae graecae instituta, sed saepissime etiam coloniae graecae habuerunt locum.

Sed ut recte animadvertit iam Buhl [in HAUCK, *Realencyclopädie*[3] (t. 7, p. 624)] hellenismus ille iudaicus rem quamdam distinctam, maximi momenti in historia hellenismi constituit. Nam " etsi plures Iudaei splendidam culturam graecam cum fervore receperant... tamen semper hac conscientia quasi imbuti fuerunt, se aliquid possidere, quod hellenismo aequivaleret immo eundem superaret, et pro cuius conservatione totis viribus pugnandum ipsis esset. Eorum fides in unum sacrosanctum Deum,

promissiones quas hic Deus ipsis dederat, et ante omnia eorum lex, pro qua pati et mori parati erant, maiori in pretio ab eis habebantur, quam omnis alia mundana scientia. Necessitate tamen quadam, per coniunctionem cum philosophia et ingenio scriptorum graecorum, amplius adhuc se clarescere posse sperabant. Quin immo, eo usque gradu Iudaei hellenizantes de superioritate suae traditionis persuasi erant, ut se non solum Graecorum discipulos considerarent, sed mediis ab hellenismo oblatis utentes, inter gentiles suam fidem propagarent „ — et proselytismum iudaicum agerent.

II) — **Urbes hellenisticae ab Herode et Herodiadis conditae vel reconstructae, in territoriis politice iudaicis.**

§ 121. — Ab Herode M. conditae vel reconstructae sunt urbes :

Sebaste-Samaria (שֹׁמְרוֹן), hellenizata iam ab Alexandro M., qui eo macedonicos colonos transtulerat (a. 331) ; — arx erat magni momenti, ideoque saepius eversa ac diruta est. — Ioannes Hyrcanus (107) eam expugnavit et devastavit ; Pompeius eam a iudaico territorio separavit, ad quod iam organice nunquam pertinuit. Augustus donavit eam Herodi, qui eam ampliavit, ornavit et in honorem Augusti Sebasten סְבַסְטִי appellavit. Post Herodem accepit Sebasten Archelaus, dein procuratores, Agrippa I et iterum procuratores. Milites coloni Sebastes principalem partem militiae palaestinensis constituebant. Sebaste maxima ex parte ab incolis hellenizatis habitabatur, Samaritani vero in proxima Sichem sedem suam

collocarunt, [quae Sichem dein reconstructa (a. 72 p. Chr.) *Flavia Neapolis* = Nâbulus est dicta]. Urbis Samariae possessiones usque ad Dothaim extendebantur. Hodie Samaria = *Sebasṭiyye*.

Gaba (Γαβά vel Γάβα = גֶּבַע vel גִּבְעָה) ad NE radicum Carmeli in Esdrelonis planitie, prope territorium Ptolemaidis et Galilaeae fines. Herodes hic coloniam equitum condidit, quae maxima ex parte gentilis erat. Hodie prob. vicus *Šeiḫ Abrêk*.

Esebon vet *Hesbon* (Ἐσεβών, Ἐσβοῦς, חֶשְׁבּוֹן) hodie *Ḥesbân*. Urbs antiqua amorrhaici regni, postea moabitica. Alexander Iannaeus eam iudaico regno iunxit, Herodes M. coloniam militarem in ea instituit. Post eius mortem amplius ad territorium iudaicum videtur non pertinuisse, sed ad Decapolim; — a. 105 provinciae Arabiae est adnumerata.

Antipatris (Ἀντιπατρίς, אנטיפטרס), hodie *Ḳal'at Raʾs el-'Ain*, ENE de Yâfâ; ab Herode M. condita, usque ad VIII saec. perseveravit (Act. 23, 31).

Phasaëlis (Φασαηλίς), N de Erîḥâ, hodie Ḫirbet Faṣâ'il.

Caesarea Palaestina (cf. inferius § 124. 9).

§ 122. — A PHILIPPO TETRARCHA conditae urbes:

Caesarea-Panias (Πανιάς vel Πανεάς), ad specum Pani dedicatum, fortasse post Alexandri M. tempora hellenizata. Herodes M. a. 20 a. Chr. accepit eam ab Augusto atque in ea templum eidem exstruxit. — Tetrarcha Philippus urbem circa templum de novo aedificavit et Καισάρειαν τὴν Φιλίππου appellavit. Mortuo Philippo tetrarcha, regio Πανεάς gubernata est a legatis Syriae, postea ab Agrippa I°, dein a procuratoribus Iudaeae et

ab a. 53 p. Chr. ab Agrippa II°, qui eam Νερωνιάδα vocavit. Incolae erant gentiles. A IV° saec. incepit appellari de novo Πανιάς (פָּנְיָס), hodie = *Bâniyâs*.

Iulias (Ἰουλιάς), ad N lacus Gennesar, a tetrarcha Philippo exstructa et in honorem filiae Augusti Iulias vocata. Nero Iuliadem Agrippae II dedit. A vico Bethsaida vicino appellabatur haec urbs Bethsaida-Iulias. Hodie Iulias = *et-Tell* (probabilissime); Bethsaida = *el-'Araǧ*. Utrum Bethsaida N. T. sit eadem, an diversa ab hac Bethsaida (= el-'Araǧ), disputatur. — (Cf. Schürer II 209, not. 487).

§ 123. — Ab Herode Antipa conditae urbes:

Sepphoris (Σεπφωρίς, צִפּוֹרִין vel צִפּוֹרִי), iam ante Chr. natum urbs maxima Galilaeae, ab Herode M. non sine difficultate occupata. Post mortem Herodis M. propter seditionem a Varo incendio deleta est, et abhinc iam Romanis amica fuit. Antipas eam de novo exstruxit regiamque Galilaeae ad aliquod tempus fecit; — incolae eius valde mixti et numerosi erant. In magno bello adversus Romanos gesto, Sepphoritae amicos Romanis se praebuerunt. Posterioribus temporibus nomen *Diocaesareae* habuit. Nunc *Saffûriye*. Proprietates Sepphoridis usque ad mortem Thabor extendebantur.

Livias vel *Iulias* (בֵּית הָרָם, in Talmud בֵּית רַמְתָה, Euseb. Hier. Βηθαραμφθᾶ vel Bethramtha. In Bêt Hârâm Herodes M. palatium habuit; Antipas urbem de novo exstruxit ac initio *Iuliadem*, in honorem Iuliae (Liviae) uxoris Augusti, appellavit. Nominabatur haec urbs etiam Livias (ab eadem Iulia, quae proprie Livia appellabatur), quod nomen erat antiquius. Hodie = *Tell er-Râme* (prope W. Ḥesbân).

Tiberias (Τιβεριάς), insigne opus Antipae circa a. 26 p. Chr. in honorem Tiberii. — Incolae Tiberiadis valde mixti, ex " colluvie hominum „ congregati erant. Post Antipam gubernavit Tiberiadem Agrippa I; post hunc romani procuratores, denique (prob. ab a. 61) Agrippa II; ab a. 100 post Chr. immediate Romanis subiecta erat.

Hae 10 urbes, ab Herode M. et Herodiadis conditae, excepta forte Antipatride, Phasaëlide, Iuliade et Liviade, probabiliter sat magna autonomia, ad instar urbium Decapoleos, gaudebant. — Gentilium hellenizatorum numerus in iis maior quam Iudaeorum fuit. Quaenam iura in hisce urbibus Iudaei habuerint, difficile est dictu. Extra hasce urbes, in iudaico territorio quasi vi implantatas, " populus „ iudaicus satis immunis a hellenismi labe remansit. Classes superiores magna ex parte erant helleni zatae, vel saltem hellenismo favebant, — exceptis utique iis, qui in pharisaeorum castra transierant.

III) — **Urbes hellenisticae littoris palaestinensis.**

§ 124. — In ipsa Iudaea et in terris provinciae Iudaeae hellenismus relative exiguos fecit progressus. Maiorem habuit triumphum in orae palaestinensis urbibus, quarum nonnullae — (inferius: 2. 5. 7; olim urbes Philistinorum) — administrative ad provinciam Iudaeam spectabant. Percurramus eas, adiungendo breves notas historicas.

1) *Raphia* (Ῥάφεια, רָפִיחַ), hodie *Tell Refaḥ*, prima urbs syriaca venienti ex Aegypto. Urbs sat antiqua, graecizata saltem a saec. III ante Chr.; circa a. 96 a. Chr. ab Alexandro Iannaeo expugnata, sed dein a Pompeio

liberata; post Herodis M. mortem provinciae Syriae subiecta erat. Hodierna statio viae ferreae, Rafaḥ dicta, in Aegypto sita est. Limes enim hodiernus ad 10 saltem km ad septentrionem stationis Rafaḥ transit.

2) *Gaza* (Γάζα, עַזָּה), urbs philisthaea antiquissima, etiam nunc exsistens; temporibus Alexandri M. post Tyrum potentissima; a. 332 ab Alexandro M. expugnata et ex hoc tempore magna ex parte hellenizata est [attamen adhuc a. 405 p. Chr. populus ipse aramaice ibi loquebatur]. Ab a. 198 a. Chr. stabiliter sub Seleucidis erat; circa a. 96 a. Chr. ab Alexandro Iannaeo expugnata, sed dein a Pompeio liberata est. A. 35 Herodi M. data, et post eius mortem ad provinciam Syriam pertinuit. Hodie = *Ġazze*.

3) *Anthedon* (Ἀνθηδών), NW Gazae ad mare sita, a Graecis condita; hodie = ruinae *el-Blâḫiyye* vel *Têdâ*. Eandem sortem ac Raphia et Gaza habuit. Herodes, ab Augusto accepta Anthedone, eam *Agrippiada* nominavit, quod tamen nomen usu receptum non est. Utrum post Herodis mortem ad provinciam Syriam, an ad Archelaum Anthedon transierit, non certo constat; — probabilius primum.

4) *Ascalon* (Ἀσκάλων, אַשְׁקְלוֹן), urbs philisthaea antiquissima, sicut Gaza; — ipsa urbs Ascalon hodie prob. = *el-Meǧdel*, portus vero antiquae urbis (Maiuma Ascalonis) = *ʿAsḳalân*. A temporibus Alexandri M. hellenistica. Unica urbs, quam Alexander Iannaeus non expugnavit. Ascalon a. 104 a. Chr. a iugo Syriae se liberavit et facta est αὐτόνομος. Ad Herodem et Herodiadas nunquam pertinuit, licet Herodes M. ibi palatium possideret.

IV. saec. p. Chr. devenit colonia romana. Populus inferior etiam hic aramaice loquebatur.

5) *Azotus* (Ἄζωτος) vel Asdod (אַשְׁדּוֹד, hodie *Esdûd*), urbs philisthaea antiqua; — duabus urbibus constabat: ad mare una et procul a littore altera. Machabaei eam expugnarunt et devastarunt (1 Mac. 5, 68; 10, 84; 11, 4); Iannaeus territorio iudaico eam iunxit, Pompeius liberavit; a. 30 Herodi M. donata est, post cuius mortem ad Salomen, dein ad Liviam, Tiberium et prov. Syriam pertinuit. Partem incolarum Azoti Iudaei constituebant.

6) *Iamnia* (Ἰάμνεια, יַבְנֶה, hodie *Yebnâ*), habuit magnum territorium. Alexander Iannaeus eam iudaico territorio adiunxit, Pompeius a servitute iudaica liberavit. Post Herodem M. transiit ad Salomen, dein ad Liviam et Tiberium et demum ad prov. Syriam. Incolae eius maiore numero erant Iudaei, ceteri gentiles. Ierusalem expugnatâ, Iamnia sedes principalis iudaicae sapientiae devenit.

7) *Ioppe* (Ἰόππη, Ἰόπη, יָפוֹ, hodie *Yâfâ*), urbs antiquissima, iam saec. XIV a. Chr. commemorata. Unicus Palaestinae portus naturalis, ideoque eius possessio pro Iudaeis maximi erat momenti. Urbs ipsa erat hellenistica a tempore Alexandri M. Simon Machabaeus eam iudaizavit et ab eo tempore (usque ad Pompeium) fere semper in potestate Iudaeorum mansit. Caesar eam Iudaeis restituit; post mortem Herodis M. Archelao, dein procuratoribus romanis, commissa est. A Vespasiano expugnata iterum gentilis devenit. Licet ad Iudaeos politice pertinuerit, fuit tamen in multis rebus autonoma, sicut aliae urbes hellenisticae.

8) *Apollonia* (Ἀπολλωνία), etiam Σώζουσα (ab Apolline Σωτήρ) vocabatur. Inter Ioppen et Caesaream

sita erat; hodie *Arsûf*. Probabilius iam ante Seleucidas exstitit.

9) *Stratonis Turris* (Στράτωνος πύργος), posterius *Caesarea* (Καισάρεια) dicta; probabiliter temporibus persicis a Sidoniis condita, ab Alexandro Iannaeo expugnata, a Pompeio liberata, ab Augusto Herodi M. data est, qui eam magnifice exstruxit et Καισάρειαν (= *Ḳaisâriyye*) nominavit; postea Καισάρεια τῆς Παλαιστίνης vel *Caesarea ad mare* dicta est; urbs florentissima, semper cum provincia Iudaea politice iuncta; residentia procuratorum romanorum. Incolae eius maxima ex parte gentiles, ex parte tantum Iudaei erant; Vespasianus eam in coloniam romanam mutavit.

10) *Dora* (Δῶρα, Δοῦρα, Δῶρος, דּוֹר, דֹּאר, hodie *Ṭanṭûra*) antiqua phoenicia urbs, probabiliter V saec. a. Chr. Athenis tributaria, postea a Sidoniis possessa. Arx potens, demum ab Alexandro Iannaeo expugnata, a Pompeio liberata est; abhinc semper ad provinciam Syriam pertinuit tq. αὐτόνομος. Iudaei temporibus regis Agrippae I coloniam ibi habuerunt.

11) *Ptolemais* (Πτολεμαΐς, initio עַכּוֹ, Ἄκη dicta; hodie *'Akk î*), urbs antiquissima; iam a temporibus Alexandri M. probab. hellenizata; a Ptolemaeo II nomen Πτολεμαΐδος accepit, quod iuxta et cum Ἄκχω persistebat, et tandem obliteratum est. Collabente Seleucidarum auctoritate, vicina regna de possessione Ptolemaidis bella inceperunt; denique in potestatem Romanorum venit. Claudius imperator Ptolemaidem coloniam veteranorum deduxit.

B) — *Decapolis.*

I) Origo Decápoleos.

§ 125. — Ἡ Δεκάπολις, vi nominis considerata, dicit foederationem (initio) decem civitatum hellenisticarum trans Iordanem, quae a Pompeio M. a. 64 a. Chr. a territorio iudaico separatae et specialibus iuribus atque autonomia auctae sunt, manserunt tamen sub Romanorum dicione et potestate et legati Syriae cura. Temporibus posterioribus aliae adhuc urbes hellenisticae huic confoederationi accesserunt, sed nomen Decapoleos est retentum. Quia Pompeius M. tq. huius confoederationis auctor et a Iudaeorum iugo liberator apparebat, hinc civitates illae pro norma temporis computandi annum 64 acceperunt, quae norma Aera Pompeiana audit. Decapóleos extensio non eadem semper mansit: hinc nil mirum apud varios auctores antiquos diversum numerum diversaque urbium Decapoleos nomina reperiri. Id iam observavit Plinius (H. N., V 18, 74), qui Decapoli adnumerat: Damascum, Philadelphiam, Raphanam, Scythopolin, Gadaram, Hippum, Dium, Pellam, Galasam (i. e. Gerasam) et Canatham. Ptolemaeus (Geogr. V 14) praeterea affert 9 alias urbes, quarum tamen nonnullae in Coelesyria inveniuntur. Si hae adimuntur et aliae, de quibus ex aliis fontibus (vg. ex Iosepho) constat, adduntur, — tunc numerus Decapoleos ad 13 (14?) civitates ascendit. — Decapoleos mentio etiam in N. T. occurrit (Mt. 4, 25; Mc. 5, 20; 7, 31).

II) Urbes Decapoleos fuerunt :

§ 126. ⇐ **Damascus** (Δαμασκός, דַּרְמֶשֶׂק, hodie *eš-Šâm*) ; urbs antiquissima, ab Alexandro M. Persis erepta, post eius mortem Seleucidis fere semper fidelis mansit. A. 111 devenit regia Antiochi Cyziceni regis ; postea possessio facta est Demetrii Eucaeri, Antiochi XII, Nabaṭaeorum (c. 87–64 a. Chr.), Romanorum usque ad Caligulam, qui (a. 38 p. Chr.) Damascum vel amisit vel probabilius Aretae IV Nabaṭaeorum regi ad tempus administrandam cessit (2 Cor. 11, 32), in quo statu Damascus probabiliter usque ad a. 65 p. Chr. mansit. Aetate Neronis iterum Damascus ad Decapolim pertinuit. — Iudaei in Damasco numerosam (10–18.000) habuerunt coloniam (Act. 9, 2–27, cf. etiam Act. 22, 5–11 ; 26, 12. 20 ; Gal. 1, 18). – Damasci possessio, Damascene dicta, valde extensa erat, nam fines Damascenes territorium Ṣidônis (forte in el-Biḳâ' ?) tangebant. Nomina oppidorum Damascenes sunt ignota.

Hippus (Ἵππος, prob. talmud. סוסיתא ; hodie probabilissime *Ḳal'at el-Ḥoṣn*). Iannaeus Hippum expugnavit, Pompeius a Iudaeorum iugo liberavit, Augustus Herodi M. dedit, sed defuncto Herode Decapoli de novo iunxit. — In territorio Hippenes plura oppida et vici, maxime e Talmude nota, sita erant, vg : *Gergesa* (= Kursi ; [1]) — cf. Mt. 8, 28 ; Mc. 5, 1 ; Lc. 8, 26), *'Ayânîš*

[1] e contra *Gerasa* = *Ḳurên Gerâdi*. Conf. W. A. Neumann, *Qurn Dscheradi*, Freiburg 1894 ; Lagrange in RB 4 (1895) 512–522 et Dalman in Palästinajahrb. 7 (1911) 20 ; praeterea tabulas Ğôlâni a G. Schumacher, ZDPV 9 (1886).

(= el-'Awâniš), *Apheca* (= Fîḳ), *Nôb* (= Nâb), *Ḥispîya* (= Ḥisfîn), *Kefar Ḥarib* (= Kefr Ḥârib), *'Iyyôn* (= 'Ayûn), *Kefar Ṣemaḥ* (= Samâḥ), *Emmatha* (= el-Ḥammi). Fortasse huc spectabat adhuc *Magadan* (Mt. 15, 39) = Δαλμανουθά (Mc. 8, 10) = ed-Delhamiyye, (ad Iordanem N Yarmûk situm), si illud Magadan non est idem ac Magdala Galilaeae.

Scythopolis (Σκυθόπολις) una e potentissimis Palaestinae urbibus, unica decapolitana cis Iordanem. Urbs antiqua; aevo Tell el-'Amârna *Bitsaani* dicta; hebraice בֵּית־שְׁאָן, = Βηθσάν et Βαιθσάν. Hodie iterum *Beis'in*. Nomen Scythopoleos i. e. Σκυθῶν πόλις Scythis debetur, qui VII saec. ante Chr. magno numero Palaestinam invaserunt et hoc loco consedisse creduntur. Sub Alexandro M. urbs hellenizata est et gentilis mansit. Circa a. 107 a. Chr. in Iudaeorum potestatem venit, a qua eam Pompeius liberavit et Decapoli iunxit, cuius erat urbs fere maxima. In Herodis et Herodiadarum dominio numquam fuit. Iudaei ibi coloniam 13.000 hominum habuerunt.

Scythopolis maximum habuit territorium, in quo siti erant varii vici vg.: *Cochaba* (= Kôkab el-Hawâ), *Gabûl* (= Ǧabbûl), *Bêt haš-Šiṭṭâ* (= Šaṭṭâ), *Rooba* (= Śeiḫ er-Reḥâb), *Salêm* (*Salumias* [= Σαλείμ? Ioh. 3, 23] = Tell el-Ridǧâ, aut = Welî Šeiḫ Sâlim), *Aennon* (Αἰνών, Ioh. 3, 23 = aut: quinque fontes in ed-Dêr prope Tell er-Ridǧâ, aut 'Ain Ṣafṣâf E Iordanis), *Abêl Meḥôlâ* ('Αβελμαούλ = 'Ain Mâliḫ).

Pella (Πέλλα) suo territorio limitem septentrionalem Peraeae tangebat. Hodie *Ḥirbet el-Faḥl* = פַּחַל, פִּחְלָא = Pella (graeca pronuntiatio?). Ab Alexandro M. condita dicitur, qui suae urbis natalis (in Macedonia) nomen

ei indidit. Cum nollet iudaizari, Alexander Iannaeus eam expugnavit ac diruit, Pompeius liberavit. Primi Christiani ante urbis Ierusalem excidium Pellam aufugerunt.

Gadara (Γάδαρα; — hodie = *Mukês* [Umkês]. Iam temporibus Antiochi M. munitissima arx, quam Iannaeus post decem obsessionis menses demum expugnavit, Pompeius liberavit; a. 30 Herodi ab Augusto data, sed post Herodis mortem iterum Decapoli adiuncta est. Iosephus appellat Gadaram μητρόπολιν τῆς Περαίας (B. I. IV 7, 3; — de sensu cf. § 90, nota).

Abila (Ἄβιλα, אָבֵל), πόλις ἐπίσημος, 12 mil. pass. E Gadarae (Euseb.-Hier., Onom., [ed Klostermann] p. 32). Temporibus Antiochi M. iam nota erat; eandem fortunam atque Gadara saepe subiit. Nero eam Agrippae II dedit. Hodie probab. *el-Kuweilbe*, cuius unus collis habet adhuc nomen *Tell Âbil*.

Dium (Δῖον), ab Alexandro M. probabilius conditum; Iannaeus urbem expugnavit, Pompeius liberavit et Decapoli adiunxit. Hanc urbem saepius commemorant antiqui, ut Iosephus, Ptolemaeus, Plinius, Stephanus Byzantius, Hierocles et alii, sed ne verbo quidem de situ eius quidquam innuunt. Hinc opinionum varietas de denominatione hodierna et identitate maxima. Proposita sunt tq. aequivalentia: Zeizûn, Kefr Dahim (Dehâma), Êdûn; probabilissime tamen (cum Guthe, Thomsen, Brünnow, Kiepert et aliis) in *el-Ḥoṣn* quaerenda videtur.

Gerasa (Γέρασα), hodie *Ǧeraš*, — cuius ruinae etiam nunc sunt vere insignes et cum Petra, Palmyra et Ba'albekk ad maximas in Syria pertinent. Ruinae sunt praecipue e II° saec. post. Chr. Condita est Gerasa post Alexandri M. tempora. Post longam obsessionem Ian-

naeus eam expugnavit, Pompeius liberavit ac Decapoli adiunxit. A temporibus Traiani ad provinciam Arabiam pertinuit et nomen saepe habuit *Antiochiae ad Chrysorrhoam* (Chrysorrhoas hodie = W. eṭ-Ṭawâḥîn).

Philadelphia (Φιλαδέλφεια, רַבַּת בְּנֵי עַמּוֹן, vel רַבָּה, hodie *'Ammân*) nomen suum accepit a Ptolemaeo II Philadelpho: — arx firma. — Alexander Iannaeus eam expugnare non potuit. Pompeius eam Decapoli adiunxit; a Traiani temporibus ad Arabiam pertinuit magnumque habuit territorium.

In *territorio harum sex urbium* (sitarum inter Yarmûk et W. 'Ammân) plura alia oppida inveniebantur, sed in particulari nescitur certo, ad quamnam urbem, quave periodo, pertinuerint; — ut:

Camus (Καμμών, Kâmôn = Ḳamm).
Arbel[*a*] (= Irbid).
Ephron = *Gephrûs* (= eṭ-Ṭayyibe).
Aramatha [-ota] (= er-Remṯe? = *Arimanum* ??).
Thantia (Thainatha = el-Ḥâb? vel Umm el-Ǧemâl?).
Hatita (Adittha = Ḥ. es-Samrâ? in W. eḍ-Ḍlêl).
Gadda (= Ḥ. Ḥadîd, vel Râs ez-Zerḳâ).
Apud Adittha (= Ḳal'at ez-Zerḳâ?).
Yogbehâ (= Aǧbehât).

§ 127. — In provinciis tetrarchiae Philippi, ad instar exemptarum insularum (?), sitae insuper adhuc duae urbes Decapoleos fuerunt vdl.:

Raphana (Ῥαφών 1 Mac. 5, 37; Ῥωμφοί Ant. XII 8, 4), hodie fortasse *er-Râfe* (NE de Šeih Miskîn); sec. aliós potius *Zeizûn*? — et

Canatha (Κάναθα = *el-Ḳanawât*, ruinae insignes)

— fortasse (?) = קְנָת (Num. 32, 42; 1 Par. 2, 23). — Urbis huius res gestae ante Pompeium sunt ignotae; initio (usque ad Septimium Severum) ad provinciam Syriam, aetate Eusebii ad Arabiam pertinuit. — Sitne ab hac Canatha distinguenda in Ḥaurâno alia Decapoleos urbs *Canata* (= el-Kerak ?), nescitur; probabilius negandum videtur.

A nonnullis, duce Ptolemaeo, Decapoli adnumerantur insuper:

Capitolias, hodie *Beit Râs*, condita a. 97-98 p. Chr., et

Adra (= Edre'î = *Der'â*). Adram ad Decapolim pertinuisse, vix admitti potest, quia Adra (Der'â) insigne centrum cultus nabaṭaei constituebat et ad Nabaṭaeorum regnum spectabat; (cf. Brünnow et von Domaszewski, *Die Provincia Arabia* I 191; III 265); — fortasse ergo illa Adra Ptolemaei, ad Decapolim et Coelesyriam spectans, non eadem esse putanda est ac Der'â, sed potius censendum est fuisse alium locum hucusque ignotum. Ipse Ptolemaeus alteram Adram inter Arabiae urbes affert.

III) Decapoleos limites accurate assignari non possunt.

§ 128. — *a*) *Cis Iordanem* fuit territorium Scythopoleos, cuius limites probabiles fuerunt: a meridie W. el-Mâliḥ; ab occidente: Ğ. Fuḳû'a; a septent. Ğ. (Nebi) ed-Daḥî, vallis Sahl el-Aḥmâ, ab oriente Iordanes. —

b) *Trans Iordanem* limites fuerunt: mare Tiberiadis (ab ostio Iordanis usque ad W. es-Samak), dein linea SE tendens versus Šerî'at el-Menâḍire usque ad Tell eš-Šihâb. — Utrum territoria urbium Decapoleos Raphanae (in Batanaea) et Canathae (in Auranitide sita-

rum), continua et sibi attigua fuerint, an potius — quod videtur probabilius — interrupta atque instar coloniarum exemptarum dispersa, — non liquet. Hinc limes Decapoleos a NE est incertus. Ab Adra versus meridiem usque ad Philadelphiam inclusive limitem orientalem efficiebat sine dubio via deserti (Derb el-Ḥaǧǧ); ab occidente limes erat idem ac Peraeae fines orientales; denique W. el-Yâbis (usque ad Iordanem) districtum Decapoleos claudebat a meridie. — Damascene a Decapoli interrupta erat tetrachiâ Philippi.

Foederatio Decapoleos dissoluta est (c. a. 105 post Chr.), cum provincia Arabia erecta est (de qua re infra § 137).

C) — *Constitutio interna autonomarum urbium hellenisticarum.*

§ 129. — Urbes hellenisticae, Seleucidarum et Romanorum temporibus, omnino independentes appellari non possunt. Nam semper, sive a regibus Aegypti vel Syriae, sive a Caesare eiusque vices gerente (legato propraetore Syriae, vel procuratore Iudaeae) pendebant. Haec tamen dependentia relative parva erat. Reapse consistebat in agnitione primatus politici et militaris, in solvendis tributis et variis aliis praestationibus in bello, in impotentia gerendi bella et contrahendi foedera. Sed praeter haec, unaquaeque urbs maior plus minusve autonomam unitatem vel potius communitatem urbanam constituebat, sui iuris suaeque proprietatis. Phoenicum et philisthaeae urbes simili temperatione iam ante hellenismum utebantur. Hellenismus

ergo eam solummodo ampliavit, in quantum maiores urbes constitutae et agnitae sunt fundamentum et basis totius politicae temperationis territorialis, ad quam adiacentes vici et oppida pertinebant. Territoria, quae ad urbes autonomas hellenisticas in Palaestina sitas spectabant, nonnunquam vasta ac magna erant. Hoc de nonnullis urbibus positive scimus, ut de Damasco, Hippo, Scythopoli, Gerasa, Philadelphia, Sebaste, Canatha et aliis.

Unaquaeque talis urbana communitas habebat suam βουλήν, i. e. senatum numerosum (nonnunquam usque ad 600 senatores), cuius membra quotannis a populo eligebantur, quique senatus caput legiferum ac administrativum totius territorii erat. Hoc quidem non impediebat, quominus romanus aut alius magistratus adesset et principatum quemdam in civitate teneret, qui nonnunquam in civitatibus quibusdam reapse aderat atque ἄρχων, στρατηγός, ἔπαρχος, vel ἐθνάρχης appellabatur. Praeter senatum (βουλή) aderant saepe alii autonomi magistratus (1), qui partes administrativae vel exsecutivae potestatis exercebant et a senatu in suis functionibus pendebant. Praeterea urbes hae possidebant suam aeram (i. e. tempus computandi normam), saepe numero pompeianam [a. 64/63], ius cudendae minoris monetae e cupro, aliaque similia privilegia.

(1) Eorum titulos scimus vg. ex Gerasa: πρόεδρος, πρῶτος τῆς πόλεος, δεκάπρωτος, γραμματεύς, διοικητής, οἱ πέντε, ἀγοράνομος, γυμνασιάρχης, ἐπιμελετής, ξυστάρχης.

D) — *Romanae coloniae militares.*

Bibliographia : Séverin, *Etude sur le " ius italicum „*, Bordeaux 1885 ; — Heisterbergk, *Name und Begriff des " ius italicum „*, Tübingen 1888 ; — Beudant, *Le " ius italicum „*, Paris 1889 ; — Herzog, *Geschichte und System der römischen Staatsverfassung*, II 2 (1891) 932 sqq. ; — Marquardt, *Römische Staatsverwaltung*, I², 35 ff., 86-132 ; — Schürer, *Die Geschichte des jüdischen Volkes*, 1 (⁴ 1901) 458-466 ; 2 (⁴ 1907) 35-36, 88-89, 106-107 ; — Kornemann, in Pauly-Wissowa, *Realencyklopaedie*, IV 511-588 ; — Lundgreen F., *Das palästinische Heerwesen in der neutestamentlichen Zeit* in Palaestinajahrb. 17 (1921) 46-63.

§ 130. — Sicut romanae coloniae militares in urbibus imperii romani praecipuum locum occupant, ita quoque specialem inter palaestinenses hellenistas mentionem Romani ipsi merentur.

Romani iam temporibus Augusti in Phoenice et in Palaestina colonias, licet parvo numero, possidebant. Demum aevo posteriore, praesertim post gentis iudaicae eversionem, hae coloniae numero auctae sunt.

Antiquissimae Romanorum coloniae erant : *Berytus* (Colonia Iulia Felix = Beirût) et *Heliopolis* (= Ba'albekk), utraque ab Augusto condita ; posterius *Ptolemais* (= 'Akkâ) iam Claudio, *Caesarea Palaestina* (Colonia Prima = Ḳaisâriyye) Vespasiano suas colonias militares debent.

Aliae coloniae romanae in Syria erant :
Antiochia ad Orontem (= Anṭâkiya),
Laodicea ad mare (Leuce Acte = el-Lâḏiḳiyye),
Hemesa (= Ḥomṣ),
Palmyra (= Tadmur),

Arca (Caesarea ad Libanum = Tell ʿArḳâ).
Sidon (Colonia Aurelia Pia = Ṣaidâ).
Tyrus (= Ṣûr).
Damascus (= eš-Šâm).

in Palaestina cisiordanica:

Sebaste (= Sebasṭiyye).
Flavia Neapolis (= Nâbulus).
Aelia Capitolina (Ierusalem = el-Ḳuds).
Nicopolis (= ʿAmwâs).
Ascalon (= ʿAsḳalân).
Gaza (Cadytis = Ġazze).

in Palaestina trans Iordanem erant:

Philippopolis (= Šuhba),
Saccaea (= Burâḳ Šaḳḳâ ?), utraque in Ḥaurâno,
Gadara (Colonia Valentia = Mukês),
Nova Traiana Bostra (= Boṣrâ),

quae omnes originem suam debent aevo posteriori, ut nonnullarum tituli ipsi demonstrant.

Coloniae hae ex militibus veteranis constabant, quibus pro fideli servitio, plerumque in eodem determinato loco, possessiones concedebantur, qui locus eo ipso colonia fiebat. Tales coloni aut inter se separatim unum quid efficiebant, aut pago vel civitati, in quibus degebant, iungebantur; — in ultimo casu locus ipse fiebat ordinarie municipium cum suis iuribus, quae diversa in diversis locis erant, quorum tamen amplissimum erat sic dictum ius italicum. Sec. Ulpianum (Digesta 50, 15, 1) ius italicum in Syria habebant: Tyrus, Berytus, Heliopolis, Laodicea [ad mare], Hemesa.

Praeter aliquot colonias romanam gentem, temporibus Christi, repraesentant: procurator (ordinis equestris),

post eversionem Ierusalem legatus pro praetore (ordinis senatorii); dein consilium praesidis (συμβούλιον, Act. 25, 12); duces denique militum, qui occupaverant Palaestinam, in eaque ordini prospiciebant.

§ 131. – **Milites romani in Palaestina** ante Vespasianum non fuerunt legionarii stricto sensu (i. e. semper cives romani, saepe romanae originis), sed solum sic dicta auxilia provincialium, quae initio iure civitatis romanae carebant.

Auxilia peditata (in universum 5-6000 hominum) constabant ex 10 cohortibus; equites dividebantur in alas variae multitudinis. Cohortes et alae nomen regionis, unde conscriptae erant, plerumque habebant. Temporibus Christi (ante Vespasianum) *Syria* tres veras legiones habebat (quarta postea addita est): legio VI Ferrata, legio X Fretensis, legio III Gallica et legio XII Fulminata.

Palaestina vero solum auxilia habebat, in Palaestina quidem, sed non ex Iudaeis conscripta; Iudaeis namque Romani parum fidebant, eosque milites iam a Caesaris temporibus non conscribebant. Auxilia palaestinensia Caesareae (ala equitum, 5 cohortes peditum, in toto 3000) constabant maxima ex parte e Sebastenis [1] et Caesariensibus, qui ibidem usque ad tempora Vespasiani (a. 67) manserunt, postea vero translati sunt. Sec. Act. 10, 1 erat quoque Caesareae una cohors Italica (σπεῖρα Ἰταλική), quam multi e romanis Italiae civibus compositam fuisse putant [2]. — Praesidia romana, ex auxiliis provincialium conscripta, praeter Caesaream, etiam aliis locis Palaestinae degebant. Sic vg. a 66 p. Chr. memorantur talia praesidia Ierichunte, Machaeri, et in oppidis Samariae, in Yizre'êl (una decuria), Ascalone (una ala equitum et una cohors peditum), denique Ierosolymis una cohors peditata (σπεῖρα, Act. 21, 31; τάγμα, B. I. V 5, 8) et saltem

[1] Cf. Act. 27, 1.

[2] De hac re cf. Schürer, II p. 462-463 cum notis.

pars cohortis equitatae, praeterea sic dicti δεξιολάβοι (Act. 23, 23). Huic praesidio, sicut et toti Ierusalem, tq. dux praeerat χιλίαρχος (Act. 21, 31), quem Iosephus φρούραρχον nominat (Ant. XV 11, 4; XVIII 4, 3). Omnia auxilia probabilissime ex indigenis palaestinensibus non-Iudaeis constabant. — Post Ierosolymae eversionem auxilia indigena palaestinensia e Palaestina in alias imperii partes translata sunt et in eorum locum Ierosolymam legio X Fretensis, Caesaream vero auxilia e Gaetulis, Thracibus, Mauretanis, Lusitanis et Cantabris composita venerunt. Post Hadriani bellum praesidia Palaestinae adhuc sunt aucta (2 legionibus et pluribus cohortibus auxiliorum).

§ 132. — Si de lingua harum coloniarum militarium et militum palaestinensium in genere quaeritur, dici probabilissime possunt, quae sequuntur: Temporibus Christi lingua latina iuxta graecam solum in actibus publicis ad officia pertinentibus, vg. decretis romanorum magistratuum, adhibebatur (cf. Ioh. 19, 20). In conversatione magistratuum cum Iudaeis sola lingua graeca videtur fuisse adhibita. — Homines auxiliorum militarium intellexisse sufficienter hellenisticam linguam admitti posse videtur; eos semper *inter se* linguam hanc adhibuisse, vix supponi potest; nam plures militum erant Syri vel mixtae originis, probabilissime aramaizati.

CAPUT XVII

Nabataei eorumque regnum

(Ab a. 105 p. Chr. Provincia Arabia)

Bibliographia : *a*) Opera : E. Ritter, *Allgemeine Erdkunde*, Asien 12 (1846) 111–140 ; — E. Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes* 1 (⁴1901) 726–744 ; — W. Libbey et Franklin E. Hoskins, *The Jordan Valley and Petra*, 2 vol., London 1905 ; — R. Dussaud, *Les Arabes en Syrie avant l'Islam*, 1907 ; — A. Musil, *Arabia Petraea*, 3 vol. 1907–1908 (praesertim II 1 p. 41–158) ; — Idem, *Umgebungskarte von Wâdi Mûsa (Petra)* 1907 ; — G. Dalman, *Petra und seine Felsheiligtümer*, 1908 ; — Idem, *Neue Petra-Forschungen*, 1912 ; — L. Szczepanski, *Nach Petra und zum Sinai*, (1908) 101–172 ; — A. Steinman, *Aretas IV, König der Nabatäer* in BZ 7 (1909) 174–187, 312–341 ; — R. E. Bbünnow et A. von Domaszewski, *Die Provincia Arabia*, 3 vol. 1904–1909 ; — Jaussen et Savignac, *Mission archéologique en Arabie*, Paris 1909–1922 ; — W. Bachmann, C. Watzinger & T. Wiegand, *Petra*, Berlin 1921 ; — A. Forder, *Petra, Petrea, Phenicia*, London 1923 ; — B. Moritz, *Arabien*, 1923 ; — L. Eckenstein, *A history of Sinai*, 1924 ; — St. Erskine, *The vanished cities of Arabia*, 1925 ; — A. Fischer, *Die Nabatäer und ihre Sprache* in Islamica 1, 1–3 (1924–5) : — cf. praeterea *Corpus Inscriptionum Semiticarum* (CIS), Pars II, t. I n. 157–1471.

b) Dissertationes in periodicis et encyclopaediis ; vg. Quatremère, *Mémoire sur les Nabatéens*, in *Nouv. Journal asiat.* 15 (1835) 5–55, 97–137, 109–240 ; H. Vincent, *Les Nabatéens*, in RB 7 (1898) 567–588 ; Clermont-Ganneau, *Les Nabatéens dans le pays de Moab*, in *Recueil d'Archéolog. orient.* 1 (1896) 185–219 ; R. Dussaud, *Numismatique des rois de Nabatène*, in *Journal Asiatique* (1904) 186–238 ; R. Hartmann, *Petra und die Grabstätte Aarons*, in

Preussische Jahrbücher 1 (1909) 496–507; Th. Nöldeke, in Schenkel, *Bibellexicon* 4 (1872) diss. "Nabatäer"; E. Kautzsch, in Riehm, *Handwörterbuch des biblischen Altertums* diss. "Nabatäer"; in Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible*, diss. "Aretas" I, 943 s. (E. Beurlier); "Nabatéens" IV 1444–1455 (A. Legendre); "Petra" V 166–173 (L. Fillion); cf. similes dissertationes in encyclopaediis Pauly-Wissowa, Winer, Hauck, Hastings, Cheyne, Guthe etc.

Tabulae: Musil, *Karte von Arabia Petraea*, 1907; insuper tabulae in 1 vol. operis Brünnow et von Domaszewski, contentae; H. et R. Kiepert, *Formae orbis antiqui* VI (1911) Palaestina; H. Fischer, *Das syrisch-ägyptische Grenzgebiet* in ZDPV 33 (1910) 188–221; G. Dalman, *Zur Karte des Syrisch-Ägyptischen Grenzgebiets* in ZDPV 35 (1912) 43–48.

A) — *Nabataei.*

§ 133. — I) **Nabataeorum historia** [1], nobis nota, a. 312 a. Chr. incipit. Antigonus, Syriae dominus, devicto Ptolemaeo Lagi, Coelesyriae monarcha, misit Athenaeum ducem suum contra Nabataeos. Athenaeus inopinato, absentibus incolis, adortus est Petram eamque spoliavit, sed brevi post in reditu a revertentibus domum Nabataeis tantam cladem accepit, ut ex eius exercitu (4600 militum) vix 50 vulnerati equites fuga saluti suae consuluerint [2]. Etiam Demetrius Antigoni filius nil magni effecit, sed solum cum obsidibus et promissione amicitiae e regione Nabataeorum domum se recepit. Abhinc Nabataei diu pacis bonis fruiti sunt.

Illis temporibus, vel probabilissime serius, postquam Petra centrum non spernendi commercii in tota Syria

[1] Cum historiae nabataicae alibi vix aptus sit locus, eam hic breviter delineare omnino expedit.

[2] Cf. Diodor. Sic. XIX 94–100.

evasit, Nabaṭaei paulatim characterem suum nationalem abiecerunt. Cultus humanitasque hellenistica sensim sine sensu sed victoriose regionem illam subiicere coeperunt, quam gladio subiugare non potuerant. Gentis mercatoriae, qualis erat nabaṭaea, plurimum intererat cum hellenizatis Syriae et Aegypti dominis pacem habere. Ideoque Nabaṭaei — quamquam libertatis et independentiae amantes, et quamquam initio sympathiae vinculis cum Iudaeis vincti erant — tamen erga Ptolemaeos et Seleucidas et in genere erga Hellenes amicorum vel potius sociorum partes gerere non cessabant.

Sic vg. primus historiae notus Nabaṭaeorum princeps (τύραννος) *Aretas* (*I*) a. 169 a. Chr. Iasoni (iudaico pontifici) opem suam praestare paratus erat. Cum tamen Iason coram Areta accusatus esset de hostilibus in Antiochum Epiphanem consiliis, Aretas nihil amplius commune cum Iasone habere voluit (1). Cum tamen principia belli iudaici adversus Epiphanem gesti feliciter succedere coepissent, Nabaṭaei se Machabaeis, tum Iudae Machabaeo (a. 164), tum Ionathae (a. 160, cf. 1 Mac. 5, 25; 9, 35) amicos ostenderunt.

Omnimodam independentiam ac maiorem influxum dominio Nabaṭaeorum (circa a. 100 ante Chr.) rex *Erotimus* = *Aretas II* (2) procuravit, qui aequali Ptolemaeo-

(1) 2 Mac. 5, 8: Textus habet ἐγκλεισθεὶς πρὸς Ἀρέταν i. e. in vincula coniectus ab Areta (ἐγκλείω); quia tamen contextus immediate postea narrat, Iasonem ex urbe in urbem fugisse, plurimi recentes corrigunt illud in "ἐγκληθεὶς„ i. e. accusatus (ἐγκαλέω).

(2) Erotimum Iustini esse identicum cum Areta II multi affirmant, paucis reclamantibus (cf. Dussaud, *Journal asiatique* 1904 [mars–avril] 192); e contra Schürer, l. c. I, 731, 732.

rum et Seleucidarum infirmitate abutens, et, — ut narrat (ex Trogo Pompeio) Iustinus (XXXIX 5, 5–6) — " fiduciâ septingentorum filiorum, quos ex paelicibus susceperat, divisis exercitibus nunc Aegyptum nunc Syriam infestabat magnumque nomen Arabum, viribus finitimorum exsanguibus, fecerat „. Eius successor *Obodas I* regi Iudaeorum Alexandro Iannaeo (c. a. 90 a. Chr.) trans Iordanem magnam cladem intulit (Ant. XIII 13, 5 ; B. I. I 4, 4) ; *Rabel I* (?) vero Antiochum XII (e Coelesyria) in Ḳânâ c. a. 87 a. Chr. devicit (Ant. XIII 15, 1 ; B. I. I 4, 7).

Haec victoria (quam nonnulli Aretae III° adscribunt) Nabaṭaeos regionis transiordanicae et Damascenes dominos fecit. *Aretas III Philhellenos* (a. 87–62) ipso suo cognomine se amicum hellenistici cultus atque humanitatis prodit. Idem ipse regiae suae residentiae, urbi Petrae, characterem hellenisticae civitatis impressit ibique theatrum exstruxit. Hic etiam in fraternas discordias Hyrcani et Aristobuli Iudaeorum se immiscebat ; nam tunc temporis Nabaṭaeorum regnum de el-'Olâ (in el-Ḥiğâz) et de Sinai (in meridie) usque ad Damascum in septentrionem extendebatur. Sed hoc eius infortunium fuit. Romani sub Pompeio, Syriae domini facti (a. 64), praepotens Nabaṭaeorum regnum tolerare noluerunt. Pompeii iussu, Scaurus a. 62 contra Petram cum exercitu profectus devincere quidem Nabaṭaeos non potuit, attamen ad tributa Romanis solvenda eos adegit (Ant. XIV 5, 1 ; B. I. I 8, 1). Damascus tamen et nonnullae Decapoleos urbes trans Iordanem, a Nabaṭaeorum iugo liberatae, immediate Romanis subiectae sunt.

Posteriores Nabaṭaeorum reges, ut *Obodas II* (62 [50]–47) et *Malichus I* (II ?, 47–30), difficillimis illis ro-

manae reipublicae ac perturbatis bellorum civilium temporibus, non parum a romanis factionibus passi et parte possessionum privati sunt. Malichus insuper Caesari ad bellum alexandrinum suum equitatum mittere coactus est (cf. Caesar, Bell. Alex. 1). Hic idem Hyrcano contra Herodem opem ferre pollicitus est (Ant. XV 6, 2–3). — *Obodas III* (30–9 ante Chr.), homo piger ac mollis, Syllaeo ministro utebatur, a quo et veneno sublatus est.

Maiorem splendorem ac potentiam exseruit *Aretas IV* (9 ante–40 p. Chr.), cuius praeterea nomen nativum erat Aeneas. Herodes Antipas, Galilaeae et Peraeae tetrarcha, eius gener fuit. Cum tamen amore Herodiadis captus primam uxorem (filiam Aretae) repudiasset, hic bonam occasionem nactus Antipam clade affecit. Eidem regi probabiliter Caligula urbem Damascum iterum (c. a. 38 p. Chr.) gubernandam tradidit, qui loco sui " ethnarcham „ ibidem constituit. Hic ethnarcha, " praepositus gentis Aretae regis „ in fuga damascena S. Pauli commemoratur (2 Cor. 11, 32). In oppositione ad alios reges, qui ex adulatione titulos Φιλόκαισαρ vel Φιλορώμαιος suscipiebant, Aretas IV titulum Raḥem-'ammeh (רחם עמה) seu Φιλόδημος, amans sui populi, sibi indidit.

Ast regni nabaṭaei splendor non diu iam permansurus erat. Successori Aretae IV[i], vdl. *Malicho II* (40–75 p. Chr.) Nero Damascum ademit (a. 65); hic idem Malichus II (a. 67) Vespasiano auxilia contra Iudaeos mittere coactus est (B. I. III 4, 2). Malichi successor *Rabelus II* (75–100) fuit; — regnante vero *Malicho III* (101–105) nabaṭaei regni maxima pars, iussu Traiani a. 105 ab A. Cornelio Palma, Syriae legato propraetore, " in formam provinciae redacta „ eique nomen " Arabiae „ inditum est.

In antiquitate graeco-romana Nabaṭaei praeprimis celebres fuerunt commercio, mercatoria sagacitate, bonis legibus et vita moderata (cf. Strabo XVI 4, 21. 26). Hisce dotibus paulatim totum arabico-asiaticum commercium ad se rapuerunt, ita ut etiam Puteolis et Romae commercialia deposita haberent (cf. Journal asiat. [1873] 366–382). Nam sicut Aila ita quoque Petra, eorum urbs regia, erat nodus, quem agmina mercatoria, ex Arabia in Aegyptum vel Gazam tendentia, necessario transire debebant (cf. § 66, n. 5. 7. 10. 12). Praeterea vicinia Petrae (vg. Elǧî, Seil ed-Dâra etc.) depositioni mercium et ob aquae abundantiam etiam refocillationi agminis mercatorii, e deserto venientis, inservire poterant.

Hoc Nabaṭaeorum vivum commercium maius adhuc incrementum cepit, ubi Traianus " redacta in formam provinciae Arabia viam novam (a. 111) a finibus Syriae usque ad mare Rubrum aperuit et stravit per C. Claudium Severum leg(atum) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) „ [1], quae via de Nova Traiana Bostra (= *Boṣrâ*) — per Philadelphiam, Medabam, Areopolin, Aenam, Buṣeiram, eš-Šôbak, Adru (= *Aḏruḥ*) prope Petram, — ad Aelanam (= *Îla*, prope el-ʿAḳaba) et mare Rubrum tendebat. Petra propter suum situm devenit clavis, quae transitum magni commercii Arabiam inter et Aegyptum atque Palaestinam (cum Mediterraneo), in utilitatem et proventum suorum incolarum, claudebat vel aperiebat [2]. Hac in romana epocha plurima monumenta Petrae erecta sunt,

[1] Inscriptio constans miliariorum huius viae, adhuc hodie hic illic exsistentium.

[2] Cf. G. Dalman, *Petra und seine Felsheiligtümer*, p. 26–32.

quae testes divitiarum et nabaṭaeae culturae exsistunt. Petrae pondus et potentia occidit, cum centrale gubernium non satis eam contra nomadum incursus protegere posset, et praecipue cum, sub novo persico Arsacidarum dominio, commercium alias sibi vias per Palmyram vdl. elegisset. Ruina Petrae tanta fuit, ut saec. VII, aevo invasionis arabicae, historici arabici ne verbum quidem de Petra nobis narrare scirent.

Aetate Christi Nabaṭaeorum populus, si non ex toto, saltem magna ex parte, aramaizatus erat. — Hoc non obstante, classes superiores praecipue in regia urbe Petra hellenismo multum favebant, immo saec. II (I ?) post Chr. ex toto iam hellenizatae fuisse videntur. Petra ipsa, antiquitus has-Sela' (2 Par. 25, 11. 12; Ier. 49, 16, Abd. v. 3. 4; forte Sela' Reḳem [i. e. petra Reḳem], Num. 31, 8 ?) appellata, est eloquentissimum eorum culturae philhellenisticae argumentum. — Descriptionem Petrae videsis in meo: "*Nach Petra und zum Sinai*„ 125–153.

§ 134. — II) **Nabaṭaeorum origines** sunt satis incertae et dubiae. — Valde tamen probabile videtur, Nabaṭaeos imperii romani, seu Nabuthaeos Vulgatae esse eosdem ac Nebâyôt [1] V. T., i. e. descendentes ab Ismaële. Id iam S. Hieronymus admisit (Quaest. in Genes. 25, 13); id idem plurimi recentiores supponunt [2]. Praeterea valde probabile est, Nabaṭaeos esse eosdem ac *Nabaytu* (Nabaytai,

[1] Cf. Gen. 25, 13; 28, 9; 36, 3; Is. 60, 7; 1 Par. 1, 29. — LXX: Ναβαταίοι.

[2] Vg. E. Schrader, *Die Keilinschriften und das Alte Testament*, (1883) 56; Frdr. Delitzsch, *Wo lag das Paradies?* [3] (1881) 297 et plurimi alii. — Difficultas ex eo petita, quod נְבָיוֹת cum ת et נבטו cum ט scribatur, philologice non est tanti valoris, quia ט cum ת ex errore copistarum non semel confunditur.

Nabayâti) inscriptionum Aššurbânipalis (c. a. 650). Non est tamen statuendum, illos eosdem esse ac *Nabatu* inscriptionum Tiglatpileseri III, Sargonis et Sanḫeribi, quia illi Nabatu non longe a Babylone habitaverant, et certo Aramaei erant. De Nabaṭaeis vero aevi romani probabilissime dici debet, eos origine Arabes fuisse, licet ex parte, saltem quoad linguam litterariam, aramaizatos, et alphabeto aramaico utentes. Haec opinio, quae optime eorum origini ismaëliticae respondet nunc praeeunte Nöldeke (1) communiter defenditur.

Temporibus igitur Aššurbânipalis (c. a. 650), Nabaṭaei in septentrionali Arabia potentem tribum arabicam constituebant atque iam tunc regem Ammuladin habuerunt. Ante Nebukadneṣṣarem II hodiernam provinciam el-Ḥiğâz incolebant et tq. regiam habebant *Ḥegrâ* (hodie adhuc *el-Ḥeğr* dictam), ubi multa monumenta et plurimae inscriptiones nabaṭaeae inventae sunt (2). Nebukadneṣṣar II regnum iudaicum destruens, simul 'Ammônitarum, Môabitarum et Edômitarum terras devastavit atque Dêdân (= *Daidân*), Têmâ (= *Teimâ*), Ḥâṣôr (= *el-Aḥḍar*?) et Ḳêdâr non pepercit. — Quae omnia multas tribus semiticas debilitarunt et ex parte peremerunt, sed Nabaṭaeis non multum nocuerunt; quinimmo maiorem potentiam inter debilitatos vicinos exserere permiserunt. Ex hoc tempore (saec. VI a. Chr.) — praecipue a tempore, quo cum Ḳêdârenis in unum coaluerunt, — Nabaṭaei caput tribuum in Arabia septentrionali constituere videntur. Suae potentiae conscii regiones septentrionales invaserunt, — Idumaeos de Edom expulerunt (3) et in Iudaeam, captivitate babylonica depopulatam, eos recedere coëgerunt. Nabaṭaei ergo tunc S et SE totius Palaestinae, totam el-'Araba et, ut videtur, peninsulam Sinai occuparunt; monarchiae persicae aevo iam potens dominium cum regia urbe Petra (W. Mûsâ) repraesentant.

Quae hic de Nabaṭaeorum origine dicta sunt, nituntur — ut patet

(1) ZDMG 17 (1863) 703 sqq.; 25 (1871) 122 sqq.; inter alios vg. H. Vincent, RB 7 (1898) 576.

(2) Cf. Jaussen et Savignac, *Mission Archéologique en Arabie*, Paris 1909–1922.

(3) Cf. forte (!) *Mal.* 1, 1–5. — Sepulcra Petrae antiquissima ex saec. VI ante Chr. proveniie videntur.

— probabilissima, sed nondum omnino certa aequatione: vdl. Nabaṭaei aevi persici = Nabaytu (Aššurbânipalis) = נְבָיוֹת (V. T.).

Nabaṭaei primitivi culturam et religionem indigenam, arabicam habuere. Teste Diodoro (XIX 94–100), Nabaṭaei illi adhuc seminomades sine humanitate et cultura (vdl. graeca) erant, gregibus et mercibus transvehendis praecipue dediti, — probabiliter etiam tunc sine regibus. Paulatim demum e seminomadibus sedes fixas habentes ac hellenismo etiam dociliores effecti sunt.

§ 135. — III) **Religio Nabaṭaeorum** cum religione Arabum ante islâmismum multa communia habet. Inscriptiones nabaṭaeae primo loco et saepissime divinitatem *Dûšarâ* (Δουσάρης) (1) commemorant. Ipse initio deus vegetationis, dein vero symbolum vivificantis omnia solis habebatur (Strabo XVI 4, 26), atque in forma quadrangularis lapidis colebatur. Haec ergo erat nabaṭaea Ka'ba (2) Aetate graeci syncretismi Dûšarâ saepe cum Dionyso confundebatur (Herodot. III 8). Praeter Dûšarâm colebant Nabaṭaei divinitatem femininam *Allât* (Herodot. III 8: Ἀλιλάτ, vel I 131: Ἀλιττω), quae graecae Aphroditae — Uraniae respondet (3). Cultus deae Allât multis arabicis tribubus, insuper etiam Palmyrenis, Phoenicibus, Carthaginiensibus et Assyriis carus

(1) Dû arâ nomen recte explicatur ita: *Ḏû* (arab. ḏû = dominus, possessor et *šarâ* (= eš-Šerâ) catena montium edomiticorum, ubi colebatur Ḏû-š-šarâ = Ḏûšarâ = dominus regionis eš-Šerâ. Alii aliter; cf. Lagrange (*Études sur les religions sémitiques* (2 1905) 184 sq. Bibliographiam de רושרא (inscriptionum nabaṭaearum) vide apud Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes* 2 (4 1907) 44, nota 72.

(2) Cf. I. Bäthgen, *Beiträge zur semitischen Religionsgeschichte* (1888) 92. 97.

(3) *Allât*, quam posteriores scriptores arabici al-Lât scribunt, est probabilissime contractio de *al-Ilâhat* i. e. Dea κατ' ἐξοχήν, similiter ac Allâh = al-Ilâh, Deus κατ' ἐξοχήν. Nomen Allatu (ideogr. NIN-KI-GAL) apud antiquos Babylonios dea orci habebat. Sed sec. Hommel *Allatu* est pro *Arlatu* = *Arâlatu* i. e. domina de *Arâlu*. Cf. bibliographiam apud Schürer l. c. 2 (4 1907) 45, not. 73.

erat. Allât tq. magna mater deorum (1) et lunae Luciferique dea colebatur. Muḥammed cum magna severitate contra hunc cultum insurrexit (al-Ḳur'ân, Sûra 53).

Minorum gentium apud Nabaṭaeos fuerunt: deus *Hubal* (etiam in Mekka notus) et dea *Manawâtu* (2) (Manâtu), qui personificationes caeli stellarumque fuisse videntur. Hisce numinibus parva septa (מחרמתא, חרם ?), in quibus eorum symbola collocata erant, ordinarie erigebantur. Etiam reges cultum divinum consequi apud Nabaṭaeos poterant. (CIS II, I, 354).

Ex hisce patet, Nabaṭaeos, sicut alios Arabes antiquitatis, sabeismo (i. e. cultui stellarum) probabilissime fuisse deditos. Ideo in montium cacuminibus, ubi totus caelorum splendor ac siderum pulchritudo libere conspicitur, cultus diis praecipue exhibebatur. Ultimis demum temporibus, ut monumenta relicta probant, etiam Nabaṭaei sub influxu hellenismi aedificia et templa diis suis erigere coeperunt. — Religionem christianam Nabaṭaei saltem IV saec. receperunt, ut id episcoporum Petrae nomina, in conciliis praesentium, abunde comprobant (3).

B) — *Nabaṭaeorum regnum et Provincia Arabia.*

§ 136. — **Limites regni Nabaṭaei.**

Regnum Nabaṭaeorum, teste Iosepho (Ant. I 12, 4), "ab Euphrate usque ad mare Rubrum„, versus el-Medînam extendebatur. Ad idem regnum, praeter el-Ḥiğâz, (in epocha 300 ante Chr. ad 105 post Chr.), e territoriis palaestinensibus spectabant: peninsula *Sinai*, *Negeb*, *Edom*, *Moabitis* orientalis, *pars hodiernae el-Belḳâ*, *eṣ-Ṣawwân*, *el-Ḥamâḍ* et *Damascene* bis (vdl. ab 87–64 ante Chr., et 38–65 post Chr.).

(1) cf. CIS II, I, 185.

(2) cf. CIS II, I, 197. 198. 217. 320 F., dea fortunae (?).

(3) vg. Ἄρειος (a. 340), Μακάριος (347), Γερμανός (352). Ἀστέριος (362), Ἰωάννης (457), — cf. Le Quien, *Oriens christianus* III 667. 668. 723. 724.

Fines accuratiores his assignari nequeunt : Regnum Nabaṭaeorum a septentrione contiguum ac confine erat : provinciae Iudaeae [vdl. : Idumaeae, mari Mortuo (de W. el-Gerâbi Arnônem usque), meridionali Peraeae (de Seil Heidân usque 'Ain Ḥesbân ?)] ; dein Decapoli, monti Ğ. Ḥaurân, Trachonitidi et Abilenae (vdl. quando sub se Damascenam habuit, secus contiguum erat ipsi Damascenae). — Ab oriente limes fuit : Arabia deserta (i. e. desertum el-Ḥamâḍ, probab. usque ad Euphratem) et deinde magnum desertum arabicum Nefûd. — A meridie : Arabia felix ; quousque limes nabaṭaeus hic se extenderit, nescitur ; fortasse ad 25° latit. septentr. (Leuce Come ?). — Ab occidente : sinus Arabicus, Aelaniticus, Heroopolitanus et Casiotis (quae Aegypto adnumerabatur), aliis verbis, linea a Clysma-Arsinoë (Cleopatride) ducta versus Rhinocoruram (= el-'Arîš), ad littus Mediterranei sitam. Regnum Nabaṭaeorum in parvos districtus administrativos divisum erat ; nonnullorum nota sunt nomina, ut Mâdabae, Umm er-Raṣâṣ, quibus " strategi „ praepositi erant.

§ 137. — **Limites Provinciae Arabiae.**

" Provincia Arabia „, a. 105 a Traiano constituta, quod ad limites attinet, non parum a regno Nabaṭaeorum differebat. Imprimis tota provincia, quae hodie el-Ḥiğâz audit, i. e. ab Aelana (Aila, Íla) usque ad Leucen Comen (= el-Ḥaurâ) — ut ex tabula Ptolemaei patet — a Romanis non est occupata, adeoque Nabaṭaeis (Arabibus ?) incolumis integraque mansit. Deinde aevo posteriore Idumaeae limites, impensis provinciae Arabiae, in meridiem aucti videntur. — Sintne Negeb et Sinai provinciae Ara-

biae relicti, non est ita certum. E contrario, Decapoli dissoluta, pars SE Decapoleos provinciae Arabiae est addita; pars vero NW Decapoleos provinciae Syriae relicta est. — Tandem Peraeae orientalis tractus (comprehendens es-Salṭ et Gel'ûd) provinciae Arabiae videtur fuisse adiectus.

Limes, qui provinciam Arabiam a Syria et a provincia Iudaea tunc temporis dividebat, a Brünnow (op. cit. t. 3 p. 264–268) ope inscriptionum et aerae bostrensis certo probatus est.

Intra Arabiae fines comprehendebantur oppida:

a) Decapoleos: *Sahwet el-Ḥiḍr*, Hebrana (= *Ḥebrân*), Erra (= *'Îre*), Ḳenât (= *el-Ḳerak*?), Adra (= *Der'â*), Dium (= *el-Ḥoṣn*?), Gerasa (= *Ǧeraš*), Râmôt bag-Gil'âd? (= *Ǧel'ûd*?), et Gedor (= *es-Salṭ*). Adeoque limes Arabiae extra has urbes (ad septent. vdl. et occidentem earum) currere debuit.

b) Cum vero urbes: Livias (= *Tell er-Râme*), Callirrhoë (= *Ḥammâm ez-Zâra*) et Machaerus (= *Ḥ. el-Mukâwer*) cum reliquo Peraeae relictae essent provinciae Iudaeae, ideo limes Arabiae ad orientem harum urbium ulterius currebat.

c) Littus orientale maris Mortui, ab Arnône usque ad W. el-Gerâbi (sec. alios ad W. el-Fiḳre), ad Arabiam spectabat.

Pauca tantum et insufficientia de limite, provinciam Arabiam ab Idumaea dividente, scimus. Sec. Ptolemaeum: Berzaba (= *Bîr es-Seba'*) et Capraorsa (leg. Caphararba? = *Ḥebrôn*) ad Idumaeam spectabant. Sec. Sozomenum Chapharchobra (= *el-Ḳufîre*?) ad Gazam [i. e. ad provinciam Iudaeam] pertinebat; sec. Onomasticon Eusebii-

Hieron. Berdan (= *H. el-Ḳâḍi* ?, *Bârade* ?) spectabat ad Geraram (= *H. el-Fare'* ?, sec. alios *Umm Ğerâr*), i. e. ad provinciam Iudaeam. Adeoque limes, Iudaeam [Idumaeam] ab Arabia dividens, certo ad meridiem harum urbium currebat. — Accurate hic limes ob defectum fontium describi adhuc non potest.

N. B. Limites provinciae Arabiae posteriores (saec. II et III post Christum), cum ad nostram epocham non spectent, videri possunt apud Brünnow et von Domaszewski, *op. cit.*, t. 3, p. 268–276.

Novimus tres solos Arabiae " *legatos Augusti pro praetore*, qui usque ad mortem Hadriani (a. 138 p. Chr.) gubernarunt, vdl.:

105–111 A. Cornelium Palmam [??]
c. 111 C. Claudium Severum
post 117 L. Sestium Florentium.

§ 138. — **Urbes et oppida Provinciae Arabiae.**

Fontes principales sunt: Cl. Ptolemaeus (c. 150 p. Chr.), catalogi episcoporum, qui interfuerunt conciliis [Nicaeno (a. 325), Antiocheno (a. 441), Sardicensi (a. 347), Constantinopolitano I (a. 381), Ephesino (a. 431), Chalcedonensi (a. 451), Hierosolymitano (a. 536), Constantinopolitano II (a. 553)]; — Ammianus Marcellinus (a. 353), Notitia dignitatum (c. a. 400), Synecdemos Hieroclis (c. a. 535), Iustiniani Novellae (a. 535), Georgius Cyprius (a. 575), opus mussivum de Mâdabâ (e saec. VI). — Praeterea in nonnullis Iosephus et Plinius. — Fontes Ptolemaeo posteriores statum utique rei post I saeculum exhibent, nihilominus tamen in multis Ptolemaeum confirmant. Ipse vero Ptolemaeus, cum tabula Marini nitatur, quoad urbes adhuc regnum Nabaṭaeorum (non provinciam Arabiam) describit. — Identificatio (non semper utique certa!) multarum antiquarum urbium cum ruinis et vicis, quae hodie sunt, inter alios debetur Aloisio Musil.

In oppidis provinciae Arabiae enumerandis, claritatis gratia, varia territoria distinguere iuvabit :

A) Inter Yarmûk (= Hieromyces) et Yabbôḳ (= Iambyces, Iabacchus), seu partim in territorio antiquae Decapoleos sita fuerunt :

Nova Traiana Bostra (= Boṣrâ), sedes legati pro praetore ;
Selcha (Tricomia ? = Ṣalḫad).
Motha (= Imtân).
Hebrana (= Ḥebrân).
Erra (= ʿÎre).
Ḳenât (= el-Kerak ?).
Adra[ha] (= Derʿâ).
Dium (= el-Ḥoṣn ?).
Arimanum (Aramatha ? = er-Remṯe ?).
Gerasa (Antiochia ad Chrysorrhoam = Ǧeraš).
Thantia (Thainatha = el-Ḥâb ?, Umm el-Gemâl ?).
Hatita (Adittha = Ḫ. es-Samrâ ?).

B) Inter Yabbôḳ et Arnônem (hodie regio el-Belḳâ) :

Apud Adittha (= Ḳalʿat ez-Zerḳâ ?).
Gadda (= Ḫ. Ḥadîd ?, Râs ez-Zerḳâ ?).
Gadora (= es-Salṭ ?, vel potius locus inter es-Salṭ et Ǧ. Nebî Ôšaʿ).
Tyrus (= ʿArâḳ el-Emîr).
Speluncis (= Dêr el-Kahf).
Philadelphia (= ʿAmmân).
Rekem (= er-Raḳîb ?).
Mefa (Mephaath = Neifaʿa).
Iazorus (= Ḫ. Ṣâr ?, Beit Zerʿa ?).
Samaea (Samaga = es-Sâmek).
Esbus (= Ḥesbân).

Ziza (= Ḳasṭal).
Medeba (= Mâdabâ).
Rydda (Arydda = Bîr ʻArâd).
Matthane (= Ḫ. es-Sikr ?).
Lemba (Libba = Libb).
Ualtha (= W. Wâle ?, Umm el-Walîd ?).
Libona (= Ḏîbân).
Castra Arnonensia (= Ḳaṣr eṭ-Ṭrayya ?).

C) Inter Arnônem et W. el-Ḥesâ (in Moab):

Praetorium Mobenum (= Ḳuṣûr Bšêr).
Vade Afaris (Naarsafaris Fl. = W. el-Ḥafîr).
Dinhaba (Dannaba = Ḫ. Denn).
Rabatmoba (Rabbat Môab, Areopolis = er-Rabbe).
Betthoro (= el-Leǧǧûn ?).
Betomarsea (Mayûmas = el-Balâdiyye).
Characmoba (Ḳîr Môab, Ḳir Ḥareset = el-Kerak).
Aiia (= ʻAyy).
Bennamarim (Nimrîm = Šahwan, in Seil en-Numêra).
Digobasilissa (= Ḥâbel).
Oronaim (= el-ʻArâḳ ?, Ḳaṣr Ḥarašâ ? ?).
Tharaïs (= Ḫ. Tarʻîn).
Agalain (= Ǧalǧûl ?).
Mucheon Come (= Ḫ. el-Maḥnâ ?).
Motho (= Ḫ. Môte).
Moca (= Muḥayy ?, el-Muḥazzeḳ ??).
Aena (= el-ʻAine).

D) Inter W. el-Ḥesâ et el-ʻAḳaba (in Edom geogr.):

Soara (Segor = el-Burǧ ?).
Aphro (= Seil ʻAfra).
Sirtha (= es-Sirre ?).

Ellebana (= W. el-La'bani).
Toloha (= Ḫ. eṭ-Ṭlâḥ).
Tophel (= eṭ-Ṭafîle ?).
Bosra (= Buṣeira).
Carca[*ria*] (= Ḫ. en-Nuṣrâniyye, in W. Ḳarḳûr).
Thoana (Têmân [Gen. 36, 34 ; Iob 2, 11 ; Am. 1, 12] = et-Tuwâne).
Arindela (= Ḫ. 'Ain Ġarandel).
Fenon (Feno, Phaeno[n] = Ḫ. Fênân).
Nekla (= 'Ain Neǧel).
Gea (= Elǧî).
Petra (has-Sela' = W. Mûsâ).
Adru (= Ḫ. Aḏruḥ nonnunquam Oḏroḥ dictum).
Maon (= Ma'ân).
Zodocatha (Zadagatta = Ḫ. eṣ-Ṣadaḳa).
Hauarra (Αὐαρα = Ḫ. el-Ḳwêra ?).
Aila (Aelana = Îla, prope el-'Aḳaba).

E) In Negeb geographico, (includendo urbes nabaṭaeas, quae posterius Idumaeae adnumerabantur) et in Sinai (1) :
Bethagidea (= Bethagathon ? = Ḫirbet Umm 'Aǧwa).
Rooboth (Robatha, Reḥôbôt = er-Ruḥêbe).
Orybda ([Ios. Ant. XIV 1, 4] = ? ?).
'Aro'êr (= 'Ar'arâ).
Thamara (= Kurnûb ?).
Hasta (Ἄσθω = Ḫ. Ḥoṣob).
Elusa (= el-Ḫalaṣa).
Saphatha (Ṣefat, Ḥormâ = Ḫ. es-Sbeiṭa).

(1) De antiquis Aegyptiorum coloniis in Sinai tractat R. Weill, *Recueil des inscriptions égyptiennes du Sinaï*, Paris 1904.

Eboda (= 'Abde).
Maliattha (= 'Ain el-Muwêliḥ ?).
Calguia (= Ḳal'at Umm Ḳuṣêr ? ?).
Lysa (= W. Luṣṣân, vel W. el-Buwêra).
Gubba (= W. el-Ġubay ?).
Gypsaria (= W. el-Bayyâne).
Rasa (Gerasa = Râs el-Ḳâ' ?).
Ad Dianam (Aisia = Mâ' Ġaḍyân [= 'Eṣyôn Geber], sec. alios = el-Fattîḥ).
Gerar (Gen. 20, 1; 26, 17, = W. el-Ǧarûr, ubi hoc Gerar bene distinguendum a Gerara [Iosephi, Eusebii, musivi madabensis etc.], quae = Umm Ǧerâr SSW Gazae, vel Ḫ. el-Fare', quaeque ad Idumaeam spectabat).
